
NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 02266925 7

7



Ex Libris

Petri Jacobi Teding van Berkhout

J. U. D.

18[illegible].

CHARACTERISMI.

CHARACTERISMI

PRINCIPUM PHILOSOPHORUM VETERUM,

SOCRATIS, PLATONIS, ARISTOTELIS.

AD

CRITICAM PHILOSOPHANDI RATIONEM

COMMENDANDAM

SCRIPSIT

PH. GUIL. VAN HEUSDE.

Sine ira et studio.

AMSTELODAMI,

APUD JOHANNEM MÜLLER,

1839.

TYPIS G. A. SPIN,

PRAEFATIO.

Tendit saeculi nostri philosophia ad eclecticismum maxime, ut in omnes omnis aevi cum philosophos, tum sectas, tum doctrinarum formulas inquiramus; quibus exploratis diligenter satisque cognitis, optima inde quaeque eligamus, mittamus reliqua. Dignum philosopho propositum; sed praecedere eclecticismum criticismus, sive critica philosophandi methodus, debet. Nam, anteaquam eligas, crisi et rerum discretione opus est: quam ni institueris, in syncretismum delabamur necesse est, quo nihil esse germanae philosophiae perniciosius potest, quippe quo misceantur et obscurentur omnia. Quamobrem, quo magis equidem generosa haec temporum nostrorum studia adjuvarem, criticas institui de veterum philosophorum principibus disquisitiones, hoc agens maxime, ut cum ipsorum, tum philosophiae, quam prodiderunt, characterem exprimerem. Orsus a Socrate, parente philosophiae, hinc ad Platonem, indeque ad Aristotelem processi: tum priscos exploravi, qui hos praecesserunt, sapientes, Thaletem, Xenophanem, Pythagoram, So-

lonem, alios: tandemque ad posterioris aevi philosophos, Zenonem, Epicurum caeterosque descendi. Qua in progressione disputationis si quis ordinem desiderat temporum, is sciat, non Historiam me tradere Philosophiae voluisse, sed hoc spectasse potissimum, ut aetatis nostrae Eclectici, ne temere eligerent, primum omniumque diligentissime germanae philosophiae principia attenderent. Quapropter a Socrate, qui primus illa cum attendisse ipse, tum aliis commonstrasse videtur, inchoandum putavi.

SOCRATES.

SOCRATES.

DISQUISITIO CRITICA

DE

INGENIO ET MORIBUS SOCRATIS.

ACCEDUNT

QUAESTIONES ARISTOPHANEAE.

AD

VIROS ERUDITISSIMOS

CLASSI TERTIAE INSTITUTI REGII BELGICI

ADSCRIPTOS.

Vicesimus ipse annus est, Sodales conjunctissimi, quum ad vos *diatriben in antiquas civitates* scribebam. Eo tum spectabat consilium meum, ut germana politicae antiquae principia exquirerem, inprimisque locum, qui est de tyrannide, gravissimum illum, nec dum satis, ut mihi videbatur, expletum, elaborarem. Nunc de Socrate ad vos scribere iuvat. Nam cum novissimis his annis *initia* traderem *philosophiae Platonicae*, Socraticam disciplinam interpretatus sum, ut ad

excolendum ingenium, ad mores informandos, ad gravissima provehenda rei publicae et privatae commoda uberrimam; ipsum vero Socratem, verissimae philosophiae auctorem, non exploravi. Dubitatum autem omni aevo est, et vero dubitatur etiamnunc, quâ ille indole, quo ingenio, quibus moribus fuerit. Dignam igitur hanc quaestionem judicavi, de qua datâ operâ agerem, his praesertim temporibus, quibus in primis viget Aristophanis studium. Scripserunt de eo nuper, cum Sodales nostri cultissimi, Gelius et Kinkerus, tum viri in Gallia, in Anglia et Germania celeberrimi, Cusinus, Mitchelus, Welckerus, Rankius, Reisigius, Schlegelius, Suvernus, Rotscherus, tum ante illos Wolfius, Böttigerus, Hermannus (*). Quorum lucubrationes ut proprie spectarunt Aristophanem, ita non attingere non potuerunt Socratem subinde, quemadmodum in comici fabulis exstat. Ego in gravissimâ caussâ non judicem

---

(*) J. GEEL, *onderzoek en phantasie*, p. 239. KINKER, disp. item vernaculà linguâ scripta, nondum edita. COUSIN, *nouveaux fragm. philos.* p. 150. MITCHEL, Praef. ad Anglicam versionem Aristophanis. WELCKER, in animadv. ad Germ. Nubium versionem, p. 190. RANKE, *Commentationes de Aristophanis vitâ* apud THIERSCH. in Edit. Pluti Arist. REISIG, Praef. Edit. Nubium VIII—XXX. A. W. VON SCHLEGEL, *Dramat. Vorlesungen*, I. p. 307. SÜVERN, *über Aristophanes Wolken.* ROTSCHER, *Aristophanes und sein Zeitalter.* F. A. WOLF, Praef. ad vers. Germ. Nubium. BÖTTIGERUS, *Aristophanes impunitus Deorum irrisor.* HERMANN, Praef. ad Nubes XXXII—LIV.

me existimavi, qui tantas possem lites componere; veruntamen, uti advertit me a puero tenuitque semper et Socrates et philosophia Socratica, ita virum cognoscere interius studui, idque egi potissimum, ut, quid ipsi prae ceteris omnibus in vitae consuetudine, tum etiam in philosophando proprium fuisset, quoque excelluisset praesertim, indagarem. Qua in re cum totus mente animoque versarer, ecce! redditus mihi libellus in Socratem est, auctore Forchhammero, quo demonstrare vir acutissimus studuit, jure istum Athenienses, si quem alium, capitali supplicio affecisse (*). Tantum vero abfuit, ut hac ego sententiâ a propositâ scriptione averterer, ut contra, lecto libello, accuratius etiam diligentiusque Socratis naturam atque indolem explorarem. Nam quid Aristophanes de viro ferme singulari, quid Anytus et Melitus, quid universus adeo populus Atheniensis existimavisset, debuissetque suo tempore existimare ac judicare, non morabar. Tantus ille vir fuit, ut, qualis esset, quidque ad caussam re-

---

(*) FORCHHAMMER, *die Athener und Socrates.* Sed conf. VAN LIMBURG BROUWER, *Apologia Socratis contra Meliti redivivi calumniam.* HERMANN, *de Socratis magistris et disciplina juvenili.* G. F. ZIMMERMANN, *de necessitate, quâ judices coacti fuerint capitis damnare Socratem.* Praecesserunt hos cum alii, tum in primis CLERICUS in Ed. Aesch. et J. J. ZIMMERMANN, *Apol. Socr. contra calumnias Aristophanis in Museo Helv.* Vol. VI.

ligionis humanitatisque provehendam spectaret maxime, aequales nondum caperent; sed hoc ipsum, quid proprium viro, quid causa apud eum cum vitiorum, tum virtutum fuisset, id igitur in luce ponere avebam. Quod num probabiliter persecutus sim ac perfecerim, vos, Sodales, judicabitis.

Diva! —— nos ire per omnem,
Sic amor est, heroa velis!
STATIUS.

Pauci omni tempore fuerunt, qui de ingenio suo ac moribus tam diversa subirent apud aequales et posteros judicia, quam Socrates, Sophronisci filius, Atheniensis. Descripsit eum Xenophon, ut virum bonum ac sapientem: pariter Plato, quamquam hic dubium nobis facit, num talem se semper praestiterit. Sed apud Aristophanem idem nobis Socrates proponitur ut atheus, ut perversae disciplinae auctor, ut juventutis corruptor. Quod cum judicarent postea etiam Athenienses, factum tandem est, ut publice is morte sit condemnatus.

Intelligitur hinc, non ita difficile negotium suscipere, si quis de Socrate vel in bonam partem, vel in malam dicere velit; nam habet, quae sequatur, exempla: suntque illa utrobique auctoritatis summae. Sed nobis hac nostrâ aetate nec laudandus simpliciter vir videtur, nec culpandus: tale nos hodie certamen sophistis ac rhetoribus relinquimus. Illud spectamus, ut, qualis ille reapse ingenio moribusque fuerit, indagando assequamur. Cogitanti autem mihi, quâ potissimum viâ ad rem dirimendam progrediendum sit, haec ineunda vi-

detur, ut primum scripta de Socrate monumenta cum exploremus, tum dijudicemus: in primis Aristophanis *Nubes*, Xenophontis *Memorabilia*, Platonis *Dialogos:* deinde ipsum audiamus virum, ubi candide de semet ipso judicat; tum vero consideremus, qualem se ille, cum in gravissimis civitatis suae rebus, tum in historiâ philosophiae praestiterit. Quibus perspectis, haud ita temere nobis videmur de Socrate existimaturi.

AEQUALIUM DE SOCRATE SCRIPTA.

Socrates apud Aristophanem.

In *Nubibus* Strepsiades, rusticus homo ac prorsus incultus, cum propter filii expensas aere alieno laboret, nec, quomodo se possit ex his difficultatibus expedire, videat, Socratis adit scholam. Hic eum docet continuo, nec Iovem esse nec caeteros, qui vulgo coluntur, Deos; naturae phaenomena, ut tonitru, fulmen, ventos, pluvias, quae his tribuuntur, ex ipsâ rerum naturâ exsistere. Quamobrem pro Diis istis colendas esse nubes, quae quippe praecipuae illarum sint rerum caussae. Senex miratur haecce, nec intelligit: id vero unum a Socrate expetit, ut artem ipsi tradat, quâ optime possit creditores fallere. Hanc autem cum ipse non magis, quam illos de Diis sermones ca-

piat, commendat Socrati filium Phidippidem, ut hunc illâ arte imbuat efficiatque, ut dicendo possit omnem orationem, justissimam adeo, evertere. Recipit hoc ei Socrates. Tum prodeunt in scenam *justa oratio* et *injusta*, quae certamen dicendo ineunt; estque hic certaminis exitus, ut victrix plane injusta oratio sit. Sic edoctus juvenis, quod a Socrate accepit, in creditores adhibet, eosque dicendo usuris defraudat. Quod ut cognovit pater, exsultat continuo laetitiâ, seque et filium beatissimum praedicat, qui hac Socratis disciplinâ expeditus e gravissimis periculis sit. Deinde vero ipse nefariae disciplinae vim expertus, tantum exsecratur Socratem, quantum modo eum laudibus celebraverat. Nam Phidippides nec Deos veritus, nec ullam habens justitiae rationem, eo pervenerat contumaciae, ut et bonum patrem verberibus caederet, nec matri parceret. Quo iratus Strepsiades in exitu fabulae totum illud Socratis φροντιςήριον, una cum ejus auctore, flammis delere nititur: his verbis in ipsum et amicum Chaerephontem invectus:

Τί γὰρ μαθόντ' εἰς τοὺς Θεοὺς ὑβρίζετον
Καὶ τῆς Σελήνης ἐσκοπεῖσθον τὴν ἕδραν;
Δίωκε, βάλλε, παῖε, πολλῶν οὕνεκα,
Μάλιςα δ' εἰδὼς, τοὺς Θεοὺς ὡς ἠδίκουν (*).

(*) Arist. Nub. vs. 1506.

Xenophontis de Socrate judicium.

A Socrate Aristophaneo sic abhorret effigies viri, quam Xenophon nobis in ***Memorabilibus*** spectandam dedit, ut nihil fingi posse dissimilius videatur. »Semper, ait, Socrates in propatulo erat; *οὐδεὶς δὲ πώποτε Σωκράτους οὐδὲν ἀσεβὲς, οὐδὲ ἀνόσιον οὔτε πράττοντος εἶδεν, οὔτε λέγοντος ἤκουσεν.* Nec enim de rerum naturâ sic disserebat, uti complures alii, considerans, quo pacto is, qui a Sophistis mundus appellatur, ortus sit, quibusque de caussis necessariis singulae res coelestes fiant. Eos adeo, qui his rebus studerent, fatuos esse contendebat (*)." Adjicit autem hisce: »ipse vero semper de rebus humanis disserebat, *σκοπῶν, τί εὐσεβὲς, τί ἀσεβές· τί καλὸν, τί αἰσχρόν· τί δίκαιον, τί ἄδικον· τί σωφροσύνη, τί μανία· τί ἀνδρία, τί δειλία· τί πόλις, τί πολιτικός· τί ἀρχὴ ἀνθρώπων, τί ἀρχικὸς ἀνθρώπων· καὶ περὶ τῶν ἄλλων, ἃ τοὺς μὲν εἰδότας ἡγεῖτο καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἶναι, τοὺς δὲ ἀγνοοῦντας, ἀνδραποδώδεις ἂν δικαίως κεκλῆσθαι* (†). Quod vero criminationem attinet, quasi corrupisset juventutem Socrates, hâc de re Xenophon: » mirum mihi videtur, persuasisse sibi quosdam, corrupisse juventutem Socratem, *ὃς πρῶτον μὲν ἀφροδισίων καὶ γαστρὸς πάν-*

(*) *Mem.* I. 1. 10. 11. (†) Eod. 1. 16.

των ἀνθρώπων ἐγκρατέστατος ἦν· εἶτα πρὸς χειμῶνα καὶ θέρος, καὶ πάντας πόνους καρτερικώτατος, ἔτι δὲ πρὸς τῷ μετρίων δεῖσθαι πεπαιδευμένος οὕτως, ὥστε πάνυ μικρὰ κεκτημένος, πάνυ ῥᾳδίως ἔχειν ἀρκοῦντα. Quo igitur modo, cum talis esset ipse, reddiderit alios vel impios, vel legum violatores, vel luxuriosos, vel in rebus venereis incontinentes, vel molles ad perferendos labores? Imo vero multos ab his vitiis revocavit, utque virtutis essent studiosi, effecit (*).” Nec vero, teste Xenophonte, docebat haec, ut multi solebant, qui ipsi aliter in agendo vivendoque versabantur: ipse omnibus optimae vitae exemplum, quod imitarentur, erat. Καίτοι γε οὐδὲ πώποτε ὑπέσχετο διδάσκαλος εἶναι τούτου, ἀλλὰ τῷ φανερὸς εἶναι τοιοῦτος ὤν, ἐλπίζειν ἐποίει τοὺς συνδιατρίβοντας ἑαυτῷ, μιμουμένους ἐκεῖνον, τοιούσδε γενήσεσθαι (†).” Quae universa postquam singulatim exposuit atque idoneis rationibus confirmavit Xenophon; judicium de Socrate sic concludit: »Πῶς οὖν ἔνοχος ἂν εἴη τῇ γραφῇ, ὃς ἀντὶ μὲν τοῦ μὴ νομίζειν θεούς, φανερὸς ἦν θεραπεύων τοὺς θεοὺς μάλιστα τῶν ἄλλων ἀνθρώπων· ἀντὶ δὲ τοῦ διαφθείρειν τοὺς νέους, φανερὸς ἦν τῶν συνόντων τοὺς πονηρὰς ἐπιθυμίας ἔχοντας, τούτων μὲν παύων, τῆς δὲ καλλίστης καὶ μεγαλοπρεπεστάτης ἀρετῆς, ᾗ πόλεις τε καὶ οἴκους εὖ οἰκοῦσι, προτρέ-

(*) Eod. c. 2. 1 et 2. (†) Eod. 2. 3.

πων ἐπιθυμεῖν· ταῦτα δὲ πράττων, πῶς οὐ μεγάλης ἄξιος ἦν τιμῆς τῇ πόλει (*).

Socrates apud Platonem.

Qualem nobis Socratem Xenophon proposuit, talis fere ille in Platonis dialogis exstat. Eandem in illis viri continentiam, probitatem, sapientiam admiramur. In *Gorgia* adeo, in *Phaedone*, maximeque in *Politia* sic eum et docentem audimus virtutem et ab improbis hominibus vindicantem, ut nil nobis illâ videri praestabilius, exoptatius, divinius debeat (†). Est tamen subinde Xenophonteo Socrati Platonicus dissimilis, ut non semper ille talis fuisse videatur. In *Symposio* Platonis cernimus eum ad utrumque, tam ad potandum, quam ad abstinendum paratum. »*Σωκράτη*, ait Pausanias, *ἐξαίρω τοῦ· λόγου· ἱκανὸς γὰρ καὶ ἀμφότερα* (§).” In exitu adeo convivii non magis quam Aristophanes exhaurire dubitat totum lavacrum vino repletum (**). Tum etiam in plerisque Platonis dialogis sic ironiâ utitur, ut ferri vix posse ab audientibus ejus contumacia videa-

(*) *Mem.* 1. 2. 64.

(†) De studio, quo virtutis justitiaeque caussam in Gorgia egit Socrates, datâ operâ egi *Init.* Vol. II. P. 1. p. 115.

(§) *Symp.* 176. C. (**) *Symp.* 213. E. 223 C.

tur. Quid? Sic ei hoc vitium exprobrat in cognomine dialogo Meno, ut ab Aristophaneâ viri imagine non magnopere abhorreat. Nam postquam rejecta erat, quam Meno memoraverat, *virtutis* difinitio, responde, ait Socrates, iterum, quid tibi esse videatur virtus. Hîc Meno: *Ὦ Σώκρατες, ἤκουον μὲν ἔγωγε πρὶν καὶ συγγενέσθαι σοὶ, ὅτι σὺ οὐδὲν ἄλλο ἢ αὐτός τε ἀπορεῖς, καὶ τοὺς ἄλλους ποιεῖς ἀπορεῖν· καὶ νῦν, ὥς γ' ἐμοὶ δοκεῖς, γοητεύεις με καὶ φαρμάττεις, καὶ ἀτεχνῶς κατεπᾴδεις, ὥςτε μεςὸν ἀπορίας γεγονέναι."* Comparat Socratem torpedini, pisci marino, qui hominem sese tangentem stupidum efficit. «Videris mihi, inquit, tale quid nunc egisse, ut me stupefaceres. Nam animum ego corpusque stupidum habeo, haesitoque, nec quod tibi respondeam invenio: quamquam sexcenties de virtute et multa et adversus quam plurimos, ut mihi visus sum, optime disputavi: at nunc, quid ipsa adeo virtus sit, proferre non possum (*)." Addit hisce adeo Meno: *καὶ μοὶ δοκεῖς εὖ βουλεύεσθαι, οὐκ ἐκπλέων ἐνθένδε, οὐδ' ἀποδημῶν· εἰ γὰρ ξένος ἐν ἄλλῃ πόλει τοιαῦτα ποιεῖς, τάχ' ἂν ὡς γόης ἀπαχθείης* (†).

(*) Menon. 80. A. B. (†) Eod. 80. B.

Posteritatis de Socrate judicia.

Fluxit ex illâ Socratis, quae apud Platonem est, disputandi ratione, mos Academicorum, ut dubitarent de rebus omnibus, vix quidquam, tanquam verum certumque, statuerent. Quo magis deinde a multis Socrates scepticus atque opinator dictus est: *Arcesilas primum*, auctore Cicerone, *ex variis Platonis libris*, *sermonibusque Socraticis hoc maxime arripuit*, *nihil esse certi*, *quod aut sensibus*, *aut animo percipi possit: quem ferunt eximio quodam usum lepore dicendi*, *aspernatum esse omne animi sensusque judicium*, *primumque instituisse* (*quamquam id fuit Socraticum maxime*), *non*, *quid ipse sentiret*, *ostendere; sed contra id*, *quod quisque se sentire dixisset*, *disputare* (*). Sed posterorum hîc tradenda sunt de ipso Socrate judicia.

Socratici Socratem, sicuti vivum dilexerant, ita mortuum coluerunt ac ferme tanquam sapientissimum virorum venerati sunt. Quo valebat non solum viri obitus, quo sentiebant intimoque pectore percipiebant, qualis ille quantusque fuisset, quem desiderabant: sed mortis etiam ratio, quâ is ereptus ipsis fuerat; tum vero maxime constantia, intrepida virtus animique magnitudo, quâ idem

(*) Cic. *de Orat.* III. 18.

violentam mortem subierat. Id dici vix potest quantam in hominum sensus vim habeat. Admirantur ita facile, quem antea tantum non oderant: ut iisdem fere temporibus exemplo patuit Theramenis. Is agitatus fere a comicis fuerat, κόθορνος dictus, quod omnibus se facile in civitate partibus accommodabat: in historia adeo Graecorum homo apparuerat scelestus plane, quippe caedis auctor, quâ injuste ipsius collegae erant multati. Eundem vero mortuum, quum placide mortem, quâ condemnatus a tyrannis fuerat, pertulerat, summo posteri honore habuerunt. Notus omnibus locus Ciceronis est. *Quam me delectat Theramenes! quam elato animo est! etsi enim flemus, cum legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur: qui cum conjectus in carcerem triginta jussu tyrannorum, venenum ut sitiens obduxisset, reliquum sic e poculo ejecit, ut id resonaret: quo sonitu reddito, arridens, propino, inquit, hoc pulcro Critiae, qui in eum fuerat taeterrimus. — Lusit vir egregius extremo spiritu, cum jam praecordiis conceptam mortem contineret: vereque ei, cui venenum praebiberat, mortem est eam auguratus, quae brevi consecuta est* (*). Quodsi Therameni, quem omnes oderant, injustum supplicium ac mortis

(*) *Tusc.* I. 40.

contemtus tantas laudes peperit, quanto magis Socrati, dilectissimo plurimorum amico ac praeceptori, similis in morte subeundâ constantia cum Socraticos, tum omnes posteros conciliare debuit! Accedebant scripta discipulorum, Xenophontis maxime et Platonis, quibus hi constantiam illam magistri celebraverant. Illa respiciens Cicero dictis haec adjiciebat: *Vadit in eundem carcerem atque in eundem paucis post annis scyphum Socrates, eodem scelere judicum, quo tyrannorum, Theramenes. Quae est igitur ejus oratio, quâ facit eum Plato usum apud judices, jam morte multatum? «Magna me, inquit, spes tenet, judices, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem — nec enim cuiquam bono mali quidquam evenire potest, nec vivo nec mortuo, nec unquam ejus res a diis immortalibus negligentur, nec mihi ipsi hoc accidit fortuito, nec vero ego iis, a quibus accusatus sum aut a quibus condemnatus, habeo quod succenseam, nisi quod mihi nocere se crediderunt." Et haec quidem hoc modo; nihil autem melius extremo. «Sed tempus est, inquit, jam hinc abire me, ut moriar: vos, ut vitam agatis: utrum autem sit melius, dii immortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem* (*)."

(*) Id. I. 41.

Memoranda haec duxi, ne ex posteritatis solum judicio, quod multi commiserunt, de Socrate existimaremus. Non magis ex laudibus hisce, quam ex Aristophanis aut Anyti Melitique criminationibus judicandus vir est. Rem nos considerare ab omni parte oportet, variasque ac contrarias adeo hominum opiniones cognoscere et comparare, ut id, quo tendimus unice, *verum*, assequamur. Itaque, quo minus videamur partium studio ducti, adjicimus hisce lubenter, constantem hanc apud posteros sententiam fuisse, ab ipso Delphico Deo Socratem mortalium omnium sapientissimum fuisse dictum; nec tamen reticemus, apud eosdem posteros non defuisse, qui Aristophaneo eum modo perstringerent, ut Lucianus fecit, qui in dialogis scribendis, ut ipse fatetur, comicos sectatus est maxime (*), vel qui mores Socratis in re potissimum amatoriâ carperent, ut e scriptis cum aliorum tum Maximi Tyrii patet, qui defendere eum ab his criminationibus studuerunt (†): »*Δεινόν γε*, ait ille, *Σωκράτην οὔπω καὶ νῦν πεπαῦσθαι συκοφαντούμενον καὶ εὐθυνόμενον, ἀλλὰ πικροτέρους αὐτῷ εἶναι τοὺς ἐπιγιγνομένους ἀεὶ καὶ τοὺς συκοφάντας Ἀνύτου καὶ Μελίτου, καὶ τοὺς δικαστὰς Ἀθηναίων τῶν τότε* (§).” Caeterum, exortâ

(*) V. *Init. Phil. Plat.* Vol. II. P. I. p. 137. (†) Max. Tyr. *Diss.* XXIV—XXVII. (§) Idem. *Diss.* IX, 1. pag. 149, 150.

religione Christiana atque invalescente, exstitisse, qui eius auctorem divinum Socrati, philosophiae auctori, opponerent, gravissimeque iccirco in Socratem et philosophiam inveherentur, non est quod miremur. His ipsis temporibus nostris pauci sunt, qui Socraticae philosophiae atque religionis Christianae nexum perspiciant. Fuerunt tamen in ipsis Ecclesiae Patribus, qui Socratis admirantes de rebus divinis effata, summis philosophum laudibus celebrarent, suspicati scilicet, haec eum Mosi ac Prophetis debuisse.

EPICRISIS.

Expositis in hunc modum aequalium scriptorum itemque posterorum de Socrate judiciis, accedendum jam nobis est ad epicrisin, judiciorum disceptationem. Illud vero nobis, ne temere judicemus, tenendum continuo videtur, cognosci virum e factis ipsius maxime, non ex hominum opinionibus debere: facta autem Socratis cum in Graecorum historia, tum vero praesertim in historia philosophiae insignia exstare, quin etiam probare universa, virum illum fortem propositique tenacem fuisse, eundemque philosophando doctrinam condidisse, quae veritatis, justitiae, sinceraeque

ac sublimioris cujusdam religionis patrocinium susciperet. Unde jam statim de eo ducere conjecturam licet, indolem ipsi non ita pravam corruptamve, imo vero excellentem fuisse, ipsumque, qualiscunque tandem *specie* aequalibus posterisque visus fuerit, *intus* fuisse virum bonum. Sed age, vetustatis de Socrate judicia dijudicemus.

Animadvertendum hoc primum ac potissimum videtur, Xenophontem de Socrate scripsisse *sene*, certe senescente, itemque Platonem in gravioribus quidem dialogis; Aristophanem vero spectasse eum ac judicasse, qualis et *juvenis* fuerat olim, et vigente tunc erat, necdum maturâ ad philosophandum aetate. Acta fabula est anno ante mortem Socratis quarto et vigesimo; quo tempore is dicendi philosophandique rationem nondum, ut videtur, plane posuerat, quam juvenis fuerat sectatus. Nam constat, eum Anaxagorae de rebus physicis doctrinam si non probasse totam, saltem interius perquisivisse. Quod e traditione suspicari licet antiquitatis, Anaxagorae illum fuisse, sive, ut aliis placuit, Archelai discipulum, quae sane non tota fuisse ficta videtur: tum etiam e sententiis Socratis apud Xenophontem de divinâ naturâ, in quibus quae de ordine in rerum universitate dicuntur, ducta magnam partem videntur ex Anaxagorae dicto: *πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ· εἶτα νοῦς*

ἐλθὼν διήρει αὐτὰ καὶ διεκόσμησε (*). Primus scilicet Anaxagoras, auctore Cicerone, *omnium rerum descriptionem et motum mentis infinitae vi et ratione designari et confici voluit* (†). Plato autem in *Phaedone* haec Socratem dicentem facit de studio, quo in res physicas incubuerat aliquando »'Ἀκούσας ποτὲ ἐκ βιβλίου τινὸς, ὡς ἔφη, Ἀναξαγόρου ἀναγιγνώσκοντος καὶ λέγοντος, ὡς ἄρα νοῦς ἐςιν ὁ διακοσμῶν τε καὶ πάντων αἴτιος, ταύτῃ δὴ τῇ αἰτίᾳ ἥσθην τε καὶ ἔδοξέ μοι τρόπον τινὰ εὖ ἔχειν τὸ τὸν νοῦν εἶναι πάντων αἴτιον. — ταῦτα δὴ λογιζόμενος, ἄσμενος εὑρηκέναι ᾤμην διδάσκαλον τῆς αἰτίας περὶ τῶν ὄντων κατὰ νοῦν ἐμαυτῷ, τὸν Ἀναξαγόραν." Destitutum autem se illa spe esse adjicit, cum videret, Anaxagoram τῷ μὲν νῷ οὐδὲν χρώμενον, οὐδέ τινας αἰτίας ἐπαιτιώμενον εἰς τὸ διακοσμεῖν τὰ πράγματα, ἀέρας δὲ καὶ αἰθέρας καὶ ὕδατα αἰτιώμενον καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ ἄτοπα (§). Caeterum apud Platonem Socrates in *Apologia* item non negat, magno se loco habere Anaxagorae philosophiam: καὶ οὐχ ὡς ἀτιμάζων λέγω τὴν τοιαύτην ἐπιςήμην (**). Quo minus est absurdum, talem Socratem, qualem vidimus, in Aristophanis *Nubibus* apparere. Nam in hac fabula comicus proprie illam Anaxagorae περὶ φύσεως ἱςορίαν

(*) Diog. Laert. II: 6; Scriptor *de plac. phil.* I: 7. Valck. *Diatr. de Eurip. fragm.* p. 36, 40. (†) *De nat. Deor.* I. c. 11. (§) *Phaed.* 97. B. D. 98. (**) *Apol. S.* c. 19.

exagitavit; Socratem autem induxit, qui eam rudi homini traderet. Nec vero existimandum, sic philosophatum de natura esse Anaxagoram, ut deos plane ac divinam providentiam tolleret; tollere contra vulgi superstitionem studuit; quod recte vidit Plutarchus. Cum alios fructus, ait, Pericli tulit Anaxagorae usus, tum vero omni eum superstitione liberavit, quae terrorem e rebus aethereis imprimit ignorantibus earum caussas: ἣν ὁ φυσικὸς λόγος ἀπαλλάττων, ἀντὶ τῆς φοβερᾶς καὶ φλεγμαινούσης δεισιδαιμονίας, τὴν ἀσφαλῆ μετ' ἐλπίδων ἀγαθῶν εὐσέβειαν ἐνεργάζεται (*). Facile idcirco Socrates, pro tantâ, quae ipsi insita erat, cognoscendi cupidine, huic interiori indulgebat naturae perscrutationi. Quod autem apud Aristophanem ut ἄθεος occurrit, qui Iovem esse caeterosque deos negaret, id quemadmodum sit accipiendum, e Platone intelligitur.

Praeclarus est in ejus *Politiâ* locus, ubi de carminibus agens, quibus a teneris imbui custodum animi debeant, ut ad fortitudinem ac modestiam conformentur, deos, quales in Homeri carminibus exstant, reprobat. »Non tolerandae, ait, fabulae istae sunt, quibus facinora enarrantur Saturni in Uranum ac Iovis in Saturnum commissa. Quae, etiamsi vel maxime essent verae,

(*) Plut. v. *Pericl.* c. 6. Vid. Heyne ad *Apollod.* passim.

οὐκ ᾤμην δεῖν ῥᾳδίως οὕτω λέγεσθαι πρὸς ἄφρονάς τε καὶ νέους, ἀλλὰ μάλιςα σιγᾶσθαι. Dicendum enim minime juveni est, si quis peccantem patrem suppliciis persequitur, nil mirum hunc committere: facere scilicet, quod primi maximique deorum fecerunt. Rejicienda haec prorsus sunt nec in civitatem ad puerorum institutionem admittenda, omniumque minime, quae de Junone a Iove vinctâ, de Vulcano a patre ex Olympi vertice deturbato, cum ille matri subveniret, narrari solent: nec per allegoriam ista nec sine allegoriâ usurpanda: *ὁ γὰρ νέος οὐχ οἷός τε κρίνειν ὅ, τι τε ὑπόνοια καὶ ὃ μή· ἀλλ' ἃ ἂν τηλικοῦτος ὢν λάβῃ ἐν ταῖς δόξαις, δυσέκνιπτά τε καὶ ἀμετάςατα φιλεῖ γίγνεσθαι· ὧν δὴ καὶ ἴσως ἕνεκα, περὶ παντὸς ποιητέον, ἃ πρῶτα ἀκούουσιν, ὅτι κάλλιςα μεμυθολογημένα πρὸς ἀρετὴν ἀκούειν* (*)."

Sic autem Plato, deorum moribus Homericorum reprobatis, *τυπούς*, quos in carminibus servare poëtae debent, hos indicat: primum, *bonos esse deos*, *Ἀγαθὸς ὅγε θεὸς τῷ ὄντι τε καὶ λεκτέον οὕτω. — οὐδ' ἄρα ὁ θεὸς, ἐπειδὴ ἀγαθὸς πάντων ἂν εἴη αἴτιος, ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν· ἀλλ' ὀλίγων μὲν τοῖς ἀνθρώποις αἴτιος, πολλῶν δὲ ἀναίτιος· πολὺ γὰρ ἐλάττω τἀγαθὰ τῶν κακῶν ἡμῖν· καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον· τῶν δὲ κακῶν ἄλλ'*

(*) *De Rep.* II. 377 E. 378 A. D. E.

ἄττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐ τὸν θεόν (*). Tum alterum memorat τυπόν, non minus sane divinâ naturâ dignum: *immutabilem esse dei naturam*. In fabulis Homeri formas subinde alias induunt dii, quibus fere mortales decipiunt. Atqui πᾶν δὴ τὸ καλῶς ἔχον, ἢ φύσει, ἢ τέχνῃ, ἢ ἀμφοτέροις, ἐλαχίστην μεταβολὴν ὑπ' ἄλλου εἰσδέχεται, ἀλλὰ μὴν ὁ θεός τε καὶ τὰ τοῦ θεοῦ πάντῃ ἄριστα ἔχει. Fieri item non potest, ut semet ipsum immutet deus: ἀλλ', ὡς ἔοικε, κάλλιστος καὶ ἄριστος ὢν εἰς τὸ δυνατὸν μένει ἀεὶ ἁπλῶς ἐν τῇ αὐτοῦ μορφῇ (†)."

Haec omnia Plato Socratem facit dicentem, qui, si reapse, ut apud Aristophanem apparet, ἄθεος fuisset, sic induci a discipulo nullo modo potuisset. Nec vero abhorrent haec ab iis, quae in *Memorabilibus* Xenophon de Socrate suo narrat. Euthydemo eum haec dicentem de divinâ naturâ inducit: ὅτι δέ γε ἀληθῆ λέγω, καὶ σὺ γνώσῃ, ἂν μὴ ἀναμένῃς, ἕως ἂν τὰς μορφὰς τῶν θεῶν ἴδῃς, ἀλλ' ἐξαρκῇ σοι, τὰ ἔργα αὐτῶν ὁρῶντι σέβεσθαι, καὶ τιμᾷν τοὺς θεούς· ἐννόει δὲ, ὅτι καὶ αὐτοὶ οἱ θεοὶ οὕτως ὑποδεικνύουσιν· οἵ τε γὰρ ἄλλοι ἡμῖν τὰ ἀγαθὰ διδόντες, οὐδὲν τούτων εἰς τὸ ἐμφανὲς ἰόντες διδόασιν, καὶ ὁ τὸν ὅλον κόσμον συντάττων τε καὶ συνέχων, ἐν ᾧ πάντα καλὰ καὶ ἀγαθά ἐστι,

(*) *De Rep.* 379. B. C. (†) *De Rep.* 380. 381.

καὶ ἀεὶ μὲν χρωμένοις ἀτριβῆ τε, καὶ ὑγιῆ, καὶ ἀγήρατον παρέχων, θᾶττον δὲ νοήματος ἀναμαρτήτως ὑπηρετοῦντα, οὗτος τὰ μέγιςα μὴν πράττων ὁρᾶται, τόδε δὲ οἰκονομῶν ἀόρατος ἡμῖν ἐςιν (*). Sed idem Socrates, ut ad tantam perveniret philosophandi sublimitatem, primum, ut videtur, dubitare debuit de absurdae istius *μυθολογίας* auctoritate, ansamque ita facile juvenili ac provectiore adeo aetate comico dedit, ut ipsum tanquam impium atque impiae doctrinae auctorem in scenam produceret.

Socratis memoravi *in philosophando maturitatem*. Nam illud recte cum de viris magnis, tum praesertim de philosophis tenendum, sero demum illos diuque posteaquam ad aetatem maturam pervenerunt, ad ingenii doctrinaeque maturitatem accedere. Talis nondum Plato in *Phaedro* est, qualis ille in *Gorgia*, in *Politia*, in *Phaedone* apparet: quos dialogos seriore demum aetate elaboravit. Animadvertendum id maxime est, ubi de Socratica tum dialectica tum juvenum institutione agimus. Auctor verissimae dialecticae, quae justâ viâ ad cognoscendam veritatem duceret, Socrates fuit: quamquam et ante eum fuerunt qui idem tentarent et post eum Plato et Aristoteles, quod praeclare colloquendo inchoaverat, scri-

(*) *Mem.* IV. 3. 13. Cf. I. 4. 17.

bendo perfecerunt (*). Id vero recte instituere, res erat difficillima: nec fieri poterat, quin dialecticae praecederet sive eristica sive sophistica. Quo minus est quod miremur, in disputationibus Socratis apud Xenophontem, imprimisque apud Platonem, sophisticas nos artes deprehendere. Id ipsum, quod ei tribui solet, *inducere*, proprie est fallere, decipere, adducere aliquem ad confitendum quod vel non habet verum, vel nolit confiteri: ut e sermonibus patet, quos Cicero commemorat, ut, quid *inductio* sit, ostendat. »*Velut*, inquit, *apud Socraticum Aeschinem demonstrat Socrates, cum Xenophontis uxore, et cum ipso Xenophonte Aspasiam locutam: dic mihi, quaeso, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrum illius an tuum malis? Illius inquit. Quid? si vestem et caeterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quam tu habes, tuumne an illius malis? Illius vero, respondit. Age, inquit, si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, virumne tuum an illius malis? Hic mulier erubuit. Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem instituit. Quaeso, inquit, Xenophon, si vicinus tuus equum meliorem habeat, quam tuus est, tuum-*

(*) De propria Socraticae, Platonicae et Aristotelicae dialecticae methodo datâ operâ egi *Init. Phil. Plat.* Vol. II. P. I. p. 82.

ne equum malis, an illius? Illius, inquit. Quid? si fundum meliorem habeat, quam tu habes, utrum tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem scilicet. Quid? si uxorem meliorem habeat, quam tu habes, utram malis? Atque hic Xenophon quoque ipse tacuit (*)."

Artes illae, quamvis festivae, sophisticae sunt, non via est haec, quâ ad virtutem pervenitur: sed, quae ratio ingenii humani est, praecedere illae debuerunt, anteaquam ad ἐπαγωγήν, quam vocavit Aristoteles, justam illam veri inveniendi rationem, accederet Socrates. Requirebatur, ut hanc recte usurparet, *ingenii doctrinaeque maturitas.* Sed Socraticae praestantia dialecticae in eo cernitur potissimum, quod eam ad recte erudienda adolescentum ingenia adhiberet. Dicta ab ipso *μαιευτική*, *ars obstetricandi* est, ut in Platonis *Theaeteto* narrat; erat autem hujuscemodi. Parturire existimabat non solum mulieres, sed ingenia etiam juvenum, quae quidem et naturâ essent foecunda et studio usuque, cogitando, meditando, reputando concepissent, quae edere in lucem averent. His opitulari, prouti mulieribus solent obstetrices, suum esse officium dicebat: opitulabatur autem interrogando et, quidquid insitum ingeniis erat, eliciendo. Nec vero in his spectabat unice, quo

(*) *De Invent.* I. 31.

facilius sic illi ingenii foetum proferrent, sed etiam, ut foetum in lucem prolatum una cum ipso explorarent; si veritatem contineret, alerent, sin vanus esset et inanis, abjicerent.

Haec verissimo nomine *κάθαρσις* erat, quâ eximere juventuti praejudicatas opiniones, falsa judicia, praesertim superbiam studebat, quo magis ipsi per se sanâ mente ad verum percipiendum accederent. Documentum hujus et dialecticae et institutionis palmarium est Platonis, quem dixi, dialogus, *Theaetetus*: in quo Socrates, methodo illâ suâ enarratâ, sic Theaetetum monet. »Committe ergo te mihi, obstetricis filio et ipsi obstetricandi artis perito, atque ad ea, quae perquiro, annitere pro viribus respondere. Quod si considerans aliquid eorum, quae dixeris, simulacrum potius quam verum duxero, deinde refutavero atque abjecero, ne mihi succenseas, oro, quemadmodum primo partu puerperae solent. *Πολλοὶ γὰρ ἤδη, ὦ θαυμάσιε, πρός με οὕτω διετέθησαν, ὥςε ἀτεχνῶς δάκνειν ἕτοιμοι εἶναι, ἐπειδάν τινα λῆρον αὐτῶν ἀφαιρῶμαι, καὶ οὐκ οἴονται εὐνοίᾳ τοῦτο ποιεῖν, πόῤῥω ὄντες τοῦ εἰδέναι, ὅτι οὐδεὶς θεὸς δύσνους ἀνθρώποις, οὐδ' ἐγὼ δυσνοίᾳ τοιοῦτον οὐδὲν δρῶ· ἀλλά μοι ψεῦδός τε συγχωρῆσαι καὶ ἀληθὲς ἀφανίσαι, οὐδαμῶς θέμις* (*).

Celebrata omni aevo Socratica haec institutio

(*) *Theaet.* 151. C. D.

est. Sed eo ut perveniret philosophus, non aetatis ei tantum, sed etiam *mentis rationisque* maturitate opus fuit. Inerat ipsius ingenio vis incredibilis quaedam ad refutandum, si quid ab aliis prolatum esset, conjunctaque erat illa cum ironiâ et singulari plane interrogandi ratione. Quae naturales viri dotes valuerunt egregie ad tentanda explorandaque juvenum ingenia, sed priusquam eas ita, ut fecit, ad purgandos illorum animos adhiberet, dudum videtur iisdem in hominum conventibus abusus, certe non ita usus eâque cum prudentiâ et modestiâ esse, quae philosophum deceret. Rem evincunt Platonis dialogi nonnulli, in quibus plane Socrates sophistam agit: quo accidisse videtur, ut *scurra* aliquando, teste Cicerone, dictus sit. »*Socratem ipsum*, ait, *parentem philosophiae*, *Zeno*, *Latino verbo utens*, *scurram Atticum fuisse dicebat* (*)." Offendit ita quam plurimos, qui refutati ab illo, sic irâ excandescerent, ut, quod ipse ait, δάκνειν ἕτοιμοι essent. Quo factum, ut ferre eum sophistae ac politici non possent: sed facile sic idem suspicionem apud nonnullos movebat, quasi cavillando justitiae omnisque veritatis fundamenta labefactaret, essetque plane *injustae* orationis, quae *justam* vinceret, auctor. Nam quacunque de re sive levi,

---

(*) *De Nat. Deor.* 1. 34.

sive etiam gravissima, institutus sermo erat, interrogando ille sic in angustias cogebat respondentem, ut fateri hic deberet, nil de ea constare; qua in re persequenda cum ne virtuti quidem aut justitiae parceret, quidni vulgo haberi ejus oratio injusta justaeque inimica debebat? Quod item Meno illo, quem significavimus, loco ait. »*Caute tibi*, inquit, *o Socrates! consulere videris, quod nunquam alio peregrinaris. Nam si advena in alienâ urbe talia ageres, facile te, ut praestigiatorem, abigerent* (*).”

Quamvis igitur diversa sint, quin etiam contraria videantur esse cum Aristophanis, tum Xenophontis et Platonis de Socrate judicia, judicare tamen illi de uno eodemque viro sic diversâ plane ratione potuerunt, siquidem diversâ eum aetate cognoverunt ac descripserunt. Mediocres homines ut subito maturescunt, ita eodem semper ingenio, iisdem esse moribus videntur; qui vero eminent caeteris ingenii animique dotibus, raro tales apparent continuo, quales provectiore aliquando aetate futuri sunt. Latet diu excellentium virorum, anteaquam agnoscatur ab omnibus, insita naturae virtus.

(*) *Menone* l. l. Cf. Diog. Laert. II. 28. Aesch. *in Timarch.* p. 287.

SOCRATIS DE SEMET IPSO CONFESSIO.

Accedimus jam ad caput disquisitionis nostrae, ut pateat nobis tandem, quâ proprie indole Socrates fuerit. Nam etiam si maturâ aetate talis fuerit, qualem eum Socratici habuerunt fere, naturâ eì inesse debuit, quo accideret, ut et antea in multorum reprehensionem, imo criminationem incurreret, nec postea hac labe purgatus sit plane. Audiamus igitur virum, ubi ipse de indole sua, qualis fuerit, libere et ingenue pronunciat. Fecit hoc, quum, in familiarium aliorumque conventu, Zopyri facta fuerat mentio, quod sic enarrat Cicero: »*Nam cum multa in conventu vitia conjecisset in Socratem Zopyrus, qui se naturam cujusque ex forma perspicere profitebatur, derisus est a caeteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent; ab ipso autem Socrate sublevatus, cum illa sibi insita, sed ratione a se ejecta diceret* (*).” Quam Socratis de semet ipso confessionem quo attenderimus diligentius, eo minus mirabimur, praeceptum in ejus philosophiá praecipuum fuisse, γνῶθι σεαυτόν. Nam quo quis magis certare cum insitis naturae vitiis debet, eo magis semet ipsum cum attendit, tum explorat, ut, hinc profectus,

(*) *Tusc.* IV. 37. Cf. *de Fato.* c. 5, ubi addit Zopyrus, *mulierosum* fuisse Socratem.

ad ipsius etiam hominis cognitionem tendat. Eo autem in primis tota Socratis philosophia valuit. Sed hac de re deinceps: nunc, cum ipsum spectamus virum, indolem in illo eo majorem excelsioremque agnoscimus, quo plenius semet ipsum sibi potuit subjicere. Videtur ex illo fuisse hominum genere, qui a Graecis ἐγκρατεῖς, αὐτοκρατεῖς, αὐτοκράτορες, *sui potentes* dici solebant, vehementerque ab antiquis laudati sunt. *Stilponem*, ait Cicero, *scribunt ipsius familiares et ebriosum et mulierosum fuisse: neque hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem: vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam et compressam esse doctrinâ, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit* (*). Tales autem qui naturâ sunt homines, non ita facile ad integram virtutem perveniunt, ut illi solent, qui vix habent, quae compescant, insita naturae vitia: iidem vero ubi semel esse potentes sui coeperunt, tum vero incredibilem quandam mentis vim produnt. Quo sane facilius intelligimus, ansam multis dedisse Socratem, ut ipsum reprehenderent et calumniarentur adeo; sed eo etiam minus quaeremus, quî factum sit, ut tantam ille civibus suis cum fortitudinem, tum constantiam, tum etiam auctorita-

(*) *De Fato. c. 5.*

tem probaverit. Nam ut quis maxime semet ipsum subegit, ita maxime in alios, quos spernit, dominari solet. Ille autem, quae Veterum sententia est, *ita in judicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex aut reus, sed magister aut dominus videretur esse judicum* (*). Caeterum, quod item hominibus proprium est, qui aegre libidines insitasque perversitates compescunt ac corrigunt, ut, si quando ex hoc certamine victores discesserint, mirifice sint in omni vitae consuetudine temperati, id item in Socrate apparuit. Placido est ille et sereno animo in nullis non sermonibus, quos apud Xenophontem habet, talis in plerisque Platonis dialogis. In *Phaedone* adeo instar est veri perfectique sapientis. Sic item aequales de eo testati sunt: unde praeclarum illud Ciceronis de eo judicium. *Socratis vultus semper erat idem, cum mentis, a qua is fingitur, nulla fieret mutatio* (†). Hinc etiam celebratissima illa ἐγκρατεία viri. Quae virtus proxime est cum αὐτοκρατείᾳ conjuncta. Nam sibi sufficiunt maxime, minimeque a rebus externis, ab hominum gratiâ, a nominis famâ et celebritate, ab opibus et divitiis pendent, qui sibi plenissime imperare didicerunt. Unâ hi potissimum suâ virtute contenti sunt. Quod ipse apud Platonem nobili illâ in *Menexeno*

(*) Cic. *de Orat.* I. 54. (†) *Tusc.* III. 15.

sententiâ pronunciat. "Ὅτῳ γὰρ ἀνδρὶ, ait, εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται πάντα τὰ πρὸς εὐδαιμονίαν φέροντα, ἢ ἐγγὺς τούτου, καὶ μὴ ἐν ἄλλοις ἀνθρώποις αἰωρεῖται — τούτῳ ἄριστα παρεσκεύασται ζῆν· οὗτός ἐστιν ὁ σώφρων καὶ οὗτος ὁ ἀνδρεῖος καὶ φρόνιμος (*). His autem animadversis, via jam nobis strata videtur, ut de vitâ Socratis deque ancipite ejus famâ et existimatione non temere judicemus.

Latuisse diu in medio Atheniensium populo Socrates videtur. Non ita ejus, ut caeterorum fere illustrium in re publica vel philosophia virorum, dicta memorantur, quae ipsi puero aut adolescenti excidissent. Stupidus adeo a plerisque habitus videtur: habitus certe ab eodem illo, quem diximus, Zopyro est: quod Cicero notat: *Quid? Socratem nonne legimus, quemadmodum notaret Zopyrus, physiognomon, — stupidum esse Socratem dixit, et bardum, quod jugula concava non haberet: obstructas eas, et obturatas esse dicebat* (†)." Tam parum scilicet corporis specie commendabatur. Accedebat, quo non minus videtur a plerisque neglectus, ut pauper esset (§): tantum adeo aberat, ut, prouti sophistae, docendo congerere divitias conaretur, ut opum maxime ac divitiarum despectu, sophistis sese per totam

(*) *Menex.* 247. E. 248. A. (†) *De Fato.* C. 5.
(§) Diog. L. V. *Servus* perhibetur fuisse.

vitam extulerit. Itaque ingenii unice dotibus advertere civium animos potuit: nec mirer equidem, si, quod ab aliis item animadversum est (*), perversae sophistarum de virtute ac justitia doctrinae ad commovendum in eo veri justique studium, tum vero ad excitandum ejus ingenium, vim habuerint praecipuam. Nam qualecunque id fuit, quod cum aliis praeceptoribus, tum Anaxagorae deberet, plurimum sane, ut maximi quique viri, sibimet ipse debuit. Illa vero Sophistarum dicendi ars, qua virtutis omnis ac philosophiae principia labefactabant, una omnium maxime valebat eo, ut quidquid in ejus animo reconditum erat honestatis ac virtutis, in lucem prodiret, nec vero minus ipsius ingenium acueretur. Non enim simpliciter cum impetu et indignatione contradicendum erat: spretus ita rejectusque ab eloquentissimis hominibus fuisset atque a vulgo derisus. Subtili opus erat dicendi ratione; ille vero, missis verbis, de rebus quaerebat; abrumpebat continuo prolixas eorum orationes, ut interrogationes interponeret de rerum definitionibus, quo magis constaret, quibus de rebus et ipsi essent dicturi et adstantes audituri. Faciebat id autem mirâ illâ usus ipsique propriâ plane ironiâ, quasi illi essent omnium rerum peritissimi, ipse vero ignorantissimus.

(*) V. Heeren, *Werke*. Vol. XV. p. 368.

Haec videntur initia fuisse dialecticae illius, quam supra significavi, quaeque una maxime tum ad verum exquirendum, tum ad juvenes instituendos apta erat. Sic autem facile paulatim inter cives suos inclaruit. Nam Gorgiam, Thrasymachum, similesque doctissimos eloquentiae doctores percunctando aggressus, uti aggredientem eum videmus in Platonis dialogis, quidni sic adstantium risum, tum etiam admirationem excitaverit? Dictus ita primum sophista est, habitusque adeo omnium facile sophistarum acutissimus, quippe qui omnes simplici illâ percunctandi disputandique ratione confutaret: tum vero, quo magis suâ docendi viâ et ratione animum cepit Alcibiadis similiumque in civitate adolescentum, eo plures in civitate nactus est tum amicos, qui ipsum diligerent vehementer atque admirarentur, tum etiam, ut fit, inimicos, qui ipsius meritis laudibusque obtrectarent. Quodsi, his ita, ut prodita ab aequalibus sunt, consideratis, quaerimus, cur ille maxime vigente aetate, cum ab aliis comicis, ut Mnesilocho, Callia, Amipsia, tum ab Aristophane, ut vidimus, publice sit in scenâ traductus: nempe sophista esse existimabatur; omnes autem sophistas, nominatim etiam Prodicum (*) eâdem fabulâ perstrinxit Aristophanes. Tum vero, quippe Anaxa-

(*) *Nub.* vs. 360.

gorae inquirens atque explorans placita, in sacris dicebatur res novas moliri: idemque, cum juventuti etiam docendae excolendaeque miram illam, sophistis invisam maxime, disputandi rationem adhiberet, quae ad refutandum composita, omnes omnium sententias, quibuscunque tandem de rebus ac de gravissimis adeo agerent, evertere ac profligare videbatur, facile a comicis, certe ab Aristophane tamquam sophista, tanquam contemtor deorum, atque injustae orationis auctor in scena proponebatur. Ut autem id fieret probaretque plaudendo spectantium multitudo, faciebant cum alia, tum species viri, mira illa prorsus, tum vestitus; *ἀνυπόδητος* erat semper: tum etiam gestus motusque: *βρενθυόμενος* fere *καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλων* incedebat (*), tum vero maxime, quod nemo omnium minus se commendare populo studebat: ille enim *esse*, non *videri*, bonus ac patriae civiumque amans volebat. Caeterum quod *φροντιστήριον* attinet Socratis, quod in scena ab Aristophane spectatoribus propositum est, nullius unquam, fateor, philosophi disciplina magis, quam Socratis, a scholae angustiis abhorruit: in oculis ille civium habitabat, sermonesque palam cum omnis generis hominibus, tam indoctis quam doctis, in gymnasiis, in foro aliisque locis misce-

(*) *Symp.* 221. B Cf. Arist. *Nub.* vs. 221. B.

bat; sed erat idem, si quis alius Atheniensium, cognoscendi cupidissimus verique studiosissimus: disceptabat de nullis non rebus accurate, diligenter et insigni quadam judicii subtilitate: hujusmodi autem homines vulgus iisdem fere nominibus, quibus comicus Socratem, vocat, ἀλαζόνας, ὠχριῶντας, μεριμνοφροντιςάς; diciturque illa Socratis schola hoc ipso nomine apud comicum φροντιςήριον, ψυχῶν σοφῶν φροντιςήριον. Neque vero hoc negligamus. Latebat omnes illud, quod Socrati inerat praecipuum, vim dico divinam coercendi sese, qua vitia sibi innata compescebat: ipsa autem haec vitia, si qua pellucerent, apparebant omnibus. Εὖ γὰρ ἴςε, convivis in Agathonis Symposio dicit Alcibiades apud Platonem, εὖ γὰρ ἴςε, ὅτι οὐδεὶς ὑμῶν τοῦτον γιγνώσκει (*). Respicit autem in primis ad αὐτοκρατὲς illud viri, quod ipsi, ut ait, uni patuerat plane.

Haec igitur Socratis in civitate vita fuit. Quo autem minus a civibus suis, qualis esset, cognosceretur, hoc valuit item, ut opinor, quod plane erat a scribendo alienus. Nunquam ille libros scripsit: quod de nullo philosopho antiquitas tam certo, quod sciam, quam de Socrate asseveravit: *literam* adeo *nullam* reliquisse dicitur (†). Id autem et indoli conveniebat viri et vitae proposito.

(*) *Symp.* p. 216. C. (†) Cic. *De Orat.* III. 16.

Nam, ut retinere se magis, quam, prouti alii, indulgere studiis suis naturalibus solebat, ita sophistis relinquebat omnem, quam dicendo scribendoque venabantur, gloriolam; ipse nec dicebat publice nec scribebat. Malebat quod apud Platonem in *Phaedro* ait, *in animis hominum scribere:* quod miscendis sermonibus cum nullo non hominum genere, non libris scribendis edendisque factitavit. Abstinendo omnino et sese coercendo vita Socratis fere tota continebatur. Et huc quidem referendum, indeque explicandum arbitror potissimum, quod amicis ille subinde aliisque narrare de daemonio suo solebat. Proprium ei tribuebat, ut retineret ipsum, raro vero, vel nunquam ad agendum excitaret. *Ab ipso Socrate,* ait Cicero, *in libris Socraticorum saepe dicitur, esse divinum quiddam, quod daemonion appellabat, cui semper ipse paruerit, nunquam impellenti, saepe revocanti.* Itaque comparat Maximus Tyrius cum Socratis illo genio Minervam apud Homerum, ubi retinet Achillem: 'Αχίλλευς — *ἐν ἐκκλησίᾳ ϛρατιωτικῇ, σπώμενος τὸ ξίφος, ὡς παίσων, κωλύεται ὑπὸ δαιμονίου. 'Αθηνᾶν καλεῖ τὸ δαιμόνιον* (*). Scilicet, cum divinam in se quandam vim sentiret, qua semet ipsum in moribus et omni vitae actione cohiberet, deo id tribuebat

(*) *De Div.* I. 54. (†) *Diss.* XIV. 5. p. 257.

quasi tuteleri cuidam, qui sic ipsum regeret atque in sapientiae itinere ab erroribus averteret.

Sed, quod ab initio dixi, e factis maxime Socratem, non ex aliorum judiciis vel ipsius dictis judicandum esse, nunc tandem virum spectemus, quemadmodum non solum in vitâ privatâ, sed in gravissimis etiam Atticae civitatis rebus ac vicissitudinibus se gessit. In his nobis unus in paucis maxime sui potens, *αὐτοκρατής* apparebit.

SOCRATES,

QUEMADMODUM SE IN REBUS GRAECORUM PRAESTITIT.

Non ille, ut Solon, ut Themistocles, ut Pericles, agendo immortaliter de republica sua meritus est, sed bene de ea mereri constantiâ et invictâ virtute studuit. In pugna ad Delium, quum omnes fugerent, solus restitit hostibus. »Xenophontem, ut est apud Diogenem Laertium, cum ab equo deciderat, suscipiens servavit: *ὅτε καὶ πάντων φευγόντων* 'Αθηναίων, *αὐτὸς ἠρέμα ἀνεχώρει, παρεπιςρεφόμενος ἡσυχῆ, καὶ τηρῶν ἀμύνασθαι, εἴ τις οἱ ἐπέλθοι* (*). Quod sic enarrat in cognomine

(*) Diog. L. II. 23.

apud Platonem dialogo Laches: ὡς ἐγὼ καὶ ἄλλοθί γε αὐτὸν ἐθεασάμην οὐ μόνον τὸν πατέρα ἀλλὰ καὶ τὴν πατρίδα ὀρθοῦντα· ἐν γὰρ τῇ ἀπὸ Δηλίου φυγῇ μετ' ἐμοῦ συνανεχώρει· κἀγὼ σοὶ λέγω, ὅτι, εἰ ἄλλοι ἤθελον τοιοῦτοι εἶναι, ὀρθὴ ἂν ἡμῶν ἡ πόλις ἦν, καὶ οὐκ ἂν ἔπεσε τὸ τοιοῦτον πτῶμα (*)." Sed in ipsa maxime civitate, in gravissimis illis rei publicae tempestatibus ac procellis, constantia viri et intrepida virtus patuit. Commisso ad insulas Arginusas praelio, accusabantur negligentiae duces, qui mortuos non sepelivissent. Quod quum, in tanta populi superstitione, aegerrime ferrent atque indignarentur omnes, decretum fecerunt subito, causâ nondum satis exploratâ, Athenienses, ut morte plecterentur duces. Hic vero Socrates, qui epistatae munere fungebatur, unus omnium universo populo Atheniensi restitit ac morte afficiendos esse duces negavit. Xenophon, in re tradenda, mirâ simplicitate, sed quae sola tam generoso facinori conveniret, usus est. Quum Prytanes, sic rem exponit, se permissuros negarent, ut praeter legem in suffragia iretur, rursus adscendens Callixenus eandem ob caussam eos accusabat. Tum clamare populus, ut arcesserentur, quotquot assentiri nollent. Οἱ δὲ Πρυτάνεις φοβηθέντες, ὡμολόγουν πάντες προθήσειν, πλὴν Σω-

(*) Plat. *Lachete*. 181. A.

κράτους, τοῦ Σωφρονίσκου· οὗτος δ' οὐκ ἔφη ἀλλ' ἢ κατὰ νόμον ποιήσειν (*). Idem autem in *Memorabilibus*, ubi non historiam enarrat, sed de ipso Socrate agit, sic de eo refert: *βουλεύσας γάρ ποτε, καὶ τὸν βουλευτικὸν ὅρκον ὀμόσας, ἐν ᾧ ἦν κατὰ τοὺς νόμους βουλεύσειν, ἐπιςάτης ἐν τῷ δήμῳ γενόμενος, ἐπιθυμήσαντος τοῦ δήμου παρὰ τοὺς νόμους ἐννέα ςρατηγοὺς μιᾷ ψήφῳ τοὺς ἀμφὶ Θράσυλλον καὶ Ἐρασινίδην ἀποκτεῖναι πάντας, οὐκ ἠθέλησεν ἐπιψηφίσαι, ὀργιζομένου μὲν αὐτῷ τοῦ δήμου, πολλῶν δὲ καὶ δυνατῶν ἀπειλούντων· ἀλλὰ περὶ πλείονος ἐποιήσατο εὐορκεῖν, ἢ χαρίσασθαι τῷ δήμῳ παρὰ τὸ δίκαιον, καὶ φυλάξασθαι τοὺς ἀπειλοῦντας* (†)." Ipse hac de re Socrates apud Platonem in *Apologia* sic refert. »Ego, ait, Athenienses, nullo adhuc publico functus sum munere, nisi quod in senatum sum lectus. Contigit autem, ut tribus mea Antiochis eo tempore praesidium obtineret, quo vos decem illos duces, quia navali pugna interemptos non sustulissent, condemnare simul omnes properastis, injuste sane, ut cunctis postea vobis apparuit. Τότ' ἐγὼ μόνος τῶν πρυτάνεων ἠναντιώθην ὑμῖν μηδὲν ποιεῖν παρὰ τοὺς νόμους, καὶ ἐναντία ἐψηφισάμην· καὶ ἑτοίμων ὄντων ἐνδεικνύναι με καὶ ὑπάγειν τῶν ῥητόρων, καὶ ὑμῶν κελευόντων καὶ βοώντων, μετὰ τοῦ νόμου καὶ

(*) Xenoph. *Hellen.* I. 7. § 9. (†) Idem. *Mem.* I. 1. 18.

τοῦ δικαίου ᾤμην μᾶλλόν με δεῖν διακινδυνεύειν, ἢ μεθ' ὑμῶν γενέσθαι, μὴ δίκαια βουλευομένων, φοβηθέντα δέσμον ἢ θάνατον (*)." Pariter invictam constantiam civitati probavit vir prudens et sapiens, quum omnes insano fere furore, ut susciperetur in Siciliam expeditio, urgerent. Hîc denuo Socrates toti ferme populo restitit ac dissuasit expeditionem. »Alcibiades, narrat Plutarchus, Carthaginem somnians et Africam, dein harum accessione Italiam et Peloponnesum jam amplexus, tantum non *ἐφόδια τοῦ πολέμου* Siciliam ducebat; ac juventutem habuit statim suâ sponte spe arrectam: senes sic audiebant mira de eâ expeditione memorantes, adeo ut multi in palaestris ac circulis sedentes, figuram insulae, situm Africae et Carthaginis depingerent. *Σωκράτη μέντοι τὸν φιλόσοφον οὐδὲν ἐλπίσαι τῇ πόλει χρηστὸν ἀπὸ τῆς στρατείας ἐκείνης λέγουσι* (†)." Nec magis idem instantem vultum tyranni, quam populi iram, metuebat. Quum Socrati et decem aliis negotium dedissent tyranni, ut Leontem Salaminium ex Salamine vi ad se adducerent, Socrates insontem hominem Athenas ducere noluit (§).

Itero hîc, quod alibi me dicere memini (**). Proprium Socrati erat non solum, ut non eodem,

(*) *Apol.* 32. A. B. C.

(†) Plut. *Alcib.* c. 17.

(§) Plat. *Apol. S.* 32. C.

(**) *Init. ph. Pl.* II. 1. 91. 94.

quo caeteri omnes, flumine abripi se ducique pateretur, sed etiam, ut huic sese flumini opponeret. Adulari populo sophistae solebant atque oratores; ille contra, vos, Athenienses, dicebat, vos ἐμοῦ ἀκούσεσθε πᾶσαν τὴν ἀληθείαν (*). Ornate dicere copioseque iidem consueverant oratores, quo magis suam sententiam populo persuaderent: ille vero quid vulgo placeret, quid displiceret, non reputabat: id spectabat unice, quod justum esset et reipublicae conduceret. Qua in re constanti animo perseveravit. *Vos me*, inquit, *Athenienses, consultore, numquam adulatore utemini.* Quae sane si consideramus cum facta viri, tum effata, intelligimus facile, quare multis in republica civibus displicuerit, illis maxime, qui auram popularem nitebantur captare. Intelligimus item, persuasisse sibi multos eo tempore Athenis, dignum capitali supplicio fuisse Socratem, quippe qui reapse in rebus gravissimis res novas moliretur; sed, quemadmodum id hodie sibi quisquam persuadeat, aliisque persuadere conetur, id, fateor, ejusmodi est, ut non intelligamus. Dixerim equidem, dignum eum fuisse, ut ipse judicabat, qui propter merita in rempublicam et cives suos, publice in Prytaneo aleretur (†).

(*) Plat. *Apol. S.* p. 17. B.

(†) Respicere me FORCHHAMMERI libellum: *Die Athener und Sokra-*

SOCRATES,

QUEMADMODUM IN PHILOSOPHIAE HISTORIA PRODIT.

Sed vir nobis tandem totus considerandus cognoscendusque est. Conjunctas cum insitis quibusdam naturae vitiis, admirabiles in ejus indole atque ingenio, dotes virtutesque animadvertimus, cum alias multas, tum praesertim miram illam

tes, nemo non videt. Diligenter autem in hoc argumento duae quaestiones distinguendae sunt; altera, num commiserit Socrates, quo dignus capitali supplicio videretur: altera, num dicendo agendoque ea spectaverit, quae Atheniensibus gravissime nocerent. Illa ad judices: haec ad Socratem pertinent: possit autem nobis Socrates, tamquam *civis*, condemnandus fuisse ab illis judicibus videri, cum eundem, tamquam *hominem*, tamquam humanitatis vindicem, admiremur et veneremur. Sed haec commiscentur fere. Forchhammerus de *judicio* datâ operâ Socratis agens, ipsum reprehendit atque exagitavit Socratem, quasi nobis hodie de viro sit existimandum, ut existimare de eo aequales debuerunt. Perversa judicandi ratio, aetate nostrâ a multis usurpata, nec vero perversa tantum, sed perniciosa. Nam si sic culpandus Socrates videtur, culpandi pariter rejiciendique sunt omnes, qui deinceps exstiterunt humanitatis religionisque instauratores et vindices: quod quominus agamus, pudor vetat ac magnorum virorum veneratio: tum vero, si quid aliud, hoc est sane, *virtuti nervos incidere*. Nos Socratis judicium Juris peritis explorandum relinquimus; sed, quo gravior est de ipso Socrate quaestio, eo magis laetamur, exstitisse apud nos virum eruditum, qui caussam Socratis naviter propugnaret, Cl. van Limburg Brouwer, *Apol. Socr. contra Meliti redivivi calumnias.* Gron. 1838. Cf. Luzacii oratio de *Socrate cive*, ejusdemque viri exquisitae doctrinae opus, *Lectiones Atticae.*

se compescendi vim, qua emendare se atque vitiis illis purgare solebat. Quae sane singula et universa tenenda nobis recte sunt, si de viro judicare, tam in privata, quam in publica vita, velimus. Verum, ut *philosophus* maxime Socrates fuit, ut philosophiae studio ac singulari plane philosophandi ratione nominis immortalitatem consecutus est, ita considerandus nobis in primis in philosophiae historiâ videtur. Speculum haec est, in quo cernere nobis viri imaginem totam licet.

Usurparunt disputandi rationem, ut supra significavimus, Academici, non ad veritatem justâ viâ indagandam, minus etiam, quo aptius juventutem erudirent, excitarentque in adolescentibus veri amorem, sed ad dubitandum. Qua in re Socratem retulerunt plane, qualis ille identidem in Platonis dialogis occurrit, evertens interrogando disputandoque, quae ab aliis posita fuerant, magisque sophistam, quam philosophum agens: unde ars illa exstitit in utramque partem disserendi, ab oratoribus frequentata maximopere. Sed nos, ut Socratem, non qualis in philosophia fuisse *videtur*, sed qualis *fuit*, cognoscamus, ipsam viri doctrinam consideremus.

Hominem haec spectat maxime, ut, quemadmodum sit ad virtutem et honestatem adducendus, teneamus; ducebat autem initium a celebratissimo

praecepto: *γνῶθι σεαυτόν* (*). Quaeritabat ille fere, teste Xenophonte, quid pium esset, quid impium, quid pulcrum, quid turpe, quid bonum, quid malum, quid justum, quid injustum: hoc agens praecipue, ut rectum ad sapientiam iter inveniret. In quo perscrutandi hominis studio virum agnoscimus, qui non ita facile, naturae vitio, sui compos factus, dudum diligenterque semet ipsum attendit atque exploravit: sic autem, quid homini esset, ut ad virtutem et sapientiam perveniret, agendum, perspicere studuit. Rogatus Socrates a quopiam, ut Cicero narrat, cujatem se esse diceret; *mundanum*, inquit; totius se enim mundi incolam et civem arbitrabatur (†). Nec vero ita mundanus erat, ut recentiore aetate cosmopolitae fuerunt, qui consultum irent universo humano generi, se vero ac cives suos negligerent; prospicere primum et maxime civitati suae studebat: sic autem prospiciebat, ut adolescentum animos vanis opinionibus ac fastu liberaret et sic purgatos optimarum rerum studio atque ardore inflammaret. Id cum ageret summo studio, dictus a Veteribus est, primus philosophiam devocasse e coelo: quod tamen recte interpretandum. Nam, ut inchoarunt fere poetae, quod perfecerunt philosophi, ita proprie primus, qui id ageret, Aristophanes fuit. Ipsum hic per-

(*) De hoc praecepto eleganter nuperrime disseruit Karstenus meus *Symb. Liter.* Vol. II. p. 57 sqq. (†) *Tusc.* V. 37.

strinxerat Socratem, quum totus in sublimibus versaretur Anaxagorae studiis. Sed Socrati tribuendum hoc est, quod philosophiam, avocari jam de coelo coeptam, recte excoleret, e principiis, e divino in primis de cognitione sui praecepto duceret, adaptaret hominum moribus gravissimisque civitatis rebus. Quam ob rem recte ab omnibus dictus est in urbibus collocasse philosophiam et coëgisse de vita et moribus, rebusque bonis et malis quaerere. Et vero is fuit Socrates, qui unus omnium maxime virtutis ac justitiae patrocinium susciperet, quibus destitutam nec domum stare posse nec civitatem contendebat. Quid plura? Qui talis est doctrinae auctor, qui eam publice est professus, qui eam semel maturiore aetate professus, sic tenuit, ut ab ea discederet nunquam, eandemque morte confirmaret, nae is, si quid video, qualicunque tandem specie, intus bonus vir, idemque bonus civis fuit. Dici de Socrate, quod de paucis philosophis potuit, congruere ejus philosophiam prorsus cum ipsius indole, ut, quo eam magis habemus perspectam, eo certius de ipsius auctore existimemus, quoque interius viri indolem perspexerimus, eo rectius nobis liceat de ejus philosophia judicare. Sed sectas consideremus item, quas viri doctrina protulit. Universas illas videbimus, quamvis a se invicem diversas et contrariam adeo, ut videtur, doctrinam profitentes, unam maxime spectasse

vim hominis moralem, tum vero proprium illud Socrati, quod diximus, τὸ αὐτοκρατές, verissimamque ἐγκράτειαν retulisse.

Discipulorum, quos nactus philosophus est, magna fuit varietas. Nam, uti Cicero animadvertit, *quod ex illius variis et diversis et in omnem partem diffusis disputationibus, alius aliud apprehenderat; proseminatae sunt quasi familiae dissentientes inter se, et multum disjunctae et dispares, cum tamen omnes se philosophos Socraticos et dici vellent, et esse arbitrarentur* (*). Sed in tanta et discipulorum et sectarum varietate idem nobis apparet studium moralis philosophiae. Dissenserunt de ejus principio et finibus: Cynici bonorum finem *virtutem*, Cyrenaici *voluptatem* posuerunt. Sed primum, quod Plato jam monuit, bonum spectabant utrique, dissentiebant de eo, quod in rebus bonis *summum* esset (†). Tum vero, sive summum illud haberent *virtutem* sive *voluptatem*, conjunctum intelligebant cum ἐγκρατείᾳ. Quod e Cynicorum itemque Cyrenaicorum agendi vivendique ratione patet. Nam Antisthenes, Diogenes, Crates, quid magis in paupertate contenderunt, quam ut sui essent compotes, sibi imperarent, non rebus se sed sibi res subjicerent? Quae ratio pariter et Aristippi et

---

(*) *De Orat.* III. 16. (†) *De Rep.* VI. 505. B. C.

Cyrenaicorum fuit. In alia hi omnia discedebant, ut voluptates, divitias, vitaeque delicias magno haberent loco: veruntamen tenebat fere illud Aristippus: ἔχω, οὐκ ἔχομαι. Utebatur lubenter et fruebatur, quibus Dionysius ipsum cumulabat, muneribus, sed, ut teneri se illis animadvertebat, metuens, ne ita esse sui compos, αὐτοκρατής, desineret, repudiabat illa. Itaque in extremis istis, quae utrique, et Cynici et Cyrenaici, persequebantur, erat semper, quo in placitis, in moribus, in vitae consuetudine magistrum referrent. Sed illas item spectemus sectas, quae ex his ortae postea sunt, Stoicam et Epicuream. Res physicas illae tractarunt denuo, quarum principia ab Heraclito et Democrito duxerant. Socrati vero uni omnium maxime τὸ αὐτοκρατὲς, quod profitebantur, debuerunt. Recte id vidit Anglicus historiae Graecae scriptor, Gillies. »Quamvis, ait, repugnarent sibi invicem Stoici atque Epicurei, conveniebant tamen in eo, quod suam utrique philosophiam viam esse putarent felicitatis summae. Utrique in sapiente, quem fingebant, plenam requirebant in studia omnia et affectus auctoritatem: utrique existimabant, hac illum vitâ supremam posse felicitatem assequi. Et Zeno et Epicurus doctrinam rejiciebat de praemiis et poenis in altera quadam vita, quippe ad suam philosophiam non necessariam: uterque autochiriam probabat: uterque gloriabatur felicitate,

quae Deorum esset felicitati par (*). Longius fere discipulus, quod vulgo dicitur, quam magister, procedit, nec raro ita ad absurda proruit; quod in Cynicis et Cyrenaicis, magisque etiam in Stoicis et Epicureis, ratione habita Socratis, cernitur. Abiit apud istos magistri ἐγκρατεία in αὐταρκείαν, non eam, quam ille probaverat, ut quis, missis divitiis, honoribus, voluptatibus, sua se virtute involveret: sed quae cum superbiâ omniumque et hominum et rerum despectu esset conjuncta. Veruntamen, quod moralis philosophiae principium attinet, fuisse illud in Socratis doctrinâ prae caeteris omnibus germanam ἐγκρατείαν, ex eorum doctrinis, qualibuscunque tandem, patet dilucide. Idem dicendum de sectatoribus Socratis videtur, quod de ejus philosophia dixi. Dubitamus, utrum magis ex illorum placitis Socratis ingenium moresque efficiantur, an indoles viri magis ad percipienda penitus et illustranda illorum placita valeat. Illud extra omnem dubitationem positum est, elucere dominarique tam in Socraticis sectis, quam in philosophia Socratica, ipsius Socratis ingenium.

Quodsi e fructibus arborem, ex operibus auctorem cognoscere velimus, considerandi nobis prae caeteris omnibus maxime germani Socratis disci-

---

(*) Gillies, *Hist. of Greece*. Vol. IV. p. 432.

puli sunt, Xenophon et Plato. Nam uterque id deditâ operâ egit, ut, cum Antisthenes et Aristippus in extrema omnia abirent, ipsum illi magistrum cum agendo referrent tum scribendo exprimerent. Et Xenophon quidem sic se ad Socratis effigiem informavit, ut ingenium moresque doctoris in omni ipsius cogitandi sentiendique ratione paterent: quod scriptis suis omnibus probavit nobis. Plato praeter Socratem alios sectatus est philosophos, Megaricos, Eleaticos, Pythagoreos: ipsos adiit, cognoscendi caussâ, Aegyptios Sacerdotes. Veruntamen quodcunque aliunde suscipiebat, ad Socratis id rationem conformavit, ut ingenio doctrinaque *Socraticus* esset philosophus. Quo igitur cognoscere interius pleniusque utrumque hunc Socratis alumnum praestantissimum conati fuerimus, eo verius nobis de ipso Socrate statuere licebit. Praeterea, ut pro naturarum ingeniorumque diversitate, ambo illi diversa in magistro cum admirati sunt, tum scribendo expresserunt, ita similia in utriusque studiis, opinionibus, sententiis, placitis item decretisque gravissimis, multa reperiuntur, quibus observatis diligenter, non possumus non inde, qualis ingenio animoque et ipsâ philosophandi ratione Socrates fuerit, efficere. Sunt in his praecipua: pulcri bonique studium, veritatis amor, placita de amore, de animorum immortalitate, de divinâ naturâ, tum vero omnium

maxime veritatis justitiaeque vindicandae ardor. De singulis operae pretium est paucis quaerere.

Aristippus τὸ καλὸν, τὸ ἀγαθὸν Antisthenes expetebat unice; Xenophon vero et Plato utrumque amplectebantur; esse negabant pulcrum, quod non idem bonum esset: illud aiebant perfectum esse, quod pulcrum esset bonumque: unde virtus ab utroque dici καλοκἀγαθία solebat. Veri autem amor ut Xenophontis commendatur philosophiâ, ita dominatur plane in omni philosophiâ Platonis. Nam juncta cum eo est, imo exstitit inde tota Platonis de ideis doctrina, locus princeps in gravissimis philosophi placitis. Rivuli hi sunt purissimi, in quibus facile fontis ubertatem puritatemque agnoscas. Sed de placitis videamus utriusque philosophi. Amoris disciplinam, τὴν ἐρωτικὴν, qua coelestis distinguebatur et vulgaris amor, ut adumbravit in scriptis Xenophon, ita Plato, tamquam omnis philosophiae moralis principium, tradidit exposuitque diligentissime; dixerat autem Socrates, hac se disciplinâ maxime gloriari. Animorum immortalitatem attigit identidem Xenophon: Plato in Phaedone aliisque dialogis gravissimis argumentationibus probavit atque evicit; quam autem rem sibi magis persuaserat Socrates? Quid dicam de divina natura, quam primus in luce posuisse Socrates videtur? Certatim hanc uterque ille germanus viri discipulus

a philosophorum cavillationibus, Plato adeo a vulgi superstitione vindicavit. Quod autem postremum memoravi, veritatis justitiaeque vindicandae ardorem, exsecrare solebat Socrates, qui primum haec naturâ cohaerentia, utilitatem et honestatem, opinione distraxissent (*). Xenophon vero et Plato quid philosophando scribendoque magis constantiusque spectarunt, quam, ut a Sophistarum artibus argutiisque justitiae caussam defenderent? *Politiam* adeo Plato, opus palmarium, hoc scripsit consilio, ut nullam esse probaret sive hominis sive civitatis felicitatem, nisi quae cum virtute et justitia esset conjuncta: quin etiam, efficere justitiam, ut qui miserrimus esse hominum videretur, esset revera felix. Quis est tandem, qui hanc omnem contemplatus animo Xenophontis pariter ac Platonis doctrinam, non agnoscat in Socrate, communi utriusque doctore, cum pulcri venustique sensum acerrimum, tum parem veritatis virtutisque amorem, tum vero animum, rerum humilium et fluxarum contemtorem, sublimium divinarumque admiratorem? Nec vero haec ambo tanquam sua prodiderunt placita, quibus scilicet efferrent sese, quasi superantes magistrum; tribuerunt illa Socrati. Socratem adeo Xenophon in *Memorabilibus*, in *dialogis* Plato

(*) Cic. *De Off.* III. 3.

haec tradentem induxit. Similiter posteri fere. Quicunque post Socratem naviter in morum doctrinam incubuerunt, tractare se *Socraticam* philosophiam professi sunt. *Parens* ille omni aevo verissimae philosophiae dictus ab omnibus habitusque est.

CHARACTERISMUS
SOCRATIS.

Qualis indole atque ingenio Socrates fuerit, e scriptis de eo monumentis, ex ipsius de se dictis, tum vero e rebus ab eo in republica gestis, omniumque maxime e philosophia viri ac partibus, quas in historia philosophiae habuit, sic, uti facere instituimus, effici potest. Nos in his disquisitionibus nec laudare virum, nec, quod multis fere placuit, culpare et criminari voluimus. Ipse, qualis fuit, qualem se in utramque partem spectandum dedit, talis nobis pro veritatis studio, quod nostrae est aetati proprium, describendus ac veluti adumbrandus pingendusque in lectorum gratiam videbatur. Quod qualicunque modo tentatum a nobis atque inchoatum, si quis persequi ac perficere velit, is legat Platonem. Nam in Xenophonte, quod verissime dixit Wyttenbachius, *imago est Socratis, vere et egregie expressa, sed ima-*

go: in Platone est ipse Socrates, nisi materiâ, certe formâ et ratione: spirat, movetur, agit, loquitur, legentem animat, et in actionis societatem inducit (*). Fuit nempe Plato mimographus: non colloquia, quae vulgo dicuntur, sed dialogos, imo mimos ac dramata scripsit ad exemplum maxime Sophronis et Aristophanis, quos, ut Veteres prodiderunt, in deliciis habebat. Exprimere iccirco, quod facere inprimis mimographi et comici solent, mores ipsamque cogitandi et agendi rationem eorum voluit, quos in dialogis dicentes agentesque inducebat; in his autem cum partes maximas omnium Socrati tribueret, hunc praecipue repraesentare nobis totum studuit. Caeterum in virtutibus praedicandis viri, vitia non occultavit. Sic apud eum identidem loquitur Socrates, ut hominem in eo agnoscamus, naturâ libidinosum ac voluptarium: quamquam idem in *Phaedro* et *Symposio* amorem ad optimarum rerum studia refert. Tum etiam, quod mentis attinet acumen, quo excelluisse constat Socratem, sophistam ille in Platonis dialogis agit nonnunquam, sic autem agit, ut ipsos Sophistas, quibuscum colloquitur, longe longeque argutando artibusque sophisticis vincat. Vitia haec Socratis fuerunt, optimae stirpis, ut antiqui voca-

(*) Praef. *Select.* p. 34.

bant, παραβλαςήματα, luxuriantis ingenii peccata, quae matura aetate correxit (*); sed quorum vestigia in ipso, ut fit, permanserunt perpetuo. Quid multa? Xenophon de Socrate scripsit, ut eum defenderet ab accusatoribus, indulsitque sibi in optimi magistri virtute et sapientia praedicanda; sed Plato, ut scriptor dramaticus, cujus erat totum nobis hominem adumbrare, talem exprimere dramatibus suis Socratem studuit, qualis ipse indole, ingenio, moribus, agendi dicendique consuetudine fuerat. Et vero, si quid video, idem ille Platonis Socrates, quemadmodum vivit agitque apud eum, tantas agere in philosophia, in ipsa adeo humanitatis historia, partes, quantas egit, potuit; Xenophonteus vero Socrates non potuisse videtur (†).

Quamobrem, cum ipsum denique Socratem, prouti fuit egitque, ostendere lectoribus velim, aptiorem huic scriptioni finem inponere non possum, quam exhibenda effigie viri, quam, excellentis pictoris instar, in dialogis adumbravit Plato. Exstat autem illa in *Symposio* praecipue, nobilissi-

---

(*) Wytt. *Vita Ruhnk.* 259.

(†) Sic hodie aliis placere intelligo. V. Brandis, *Grundlinien der Lehre des Socrates.* Rhein. Mus. Vol. I. Dissen. *De philosophia morali in Xenoph. de Socrate commentariis.* Gött. 1812. Wiggers, *Sokrates als Mensch, Bürger und Philosoph.* Neustrelitz 1811, S. 184. § 191. Hegels *Werke.* Th. XIV. § 124, quos citat Tholuck, *die Glaubwürd. der Evang. Gesch.* p. 323.

mo loco, sed qui hîc nobis ex disquisitionibus nostris interpretandus declarandusque videtur.

Nam postquam in Agathonis convivium illud comessabundus vinoque concitatus Alcibiades venerat, quo fiebat, ut summa uteretur παῤῥησίᾳ, rogatus hic ab Eryximacho, ut Socratem laudaret, »faciam, inquit, sed ita, ut quamvis jocari videar, vera dicam. Laudare autem virum, convivae, per imagines conabor. Ille quidem suspicabitur, ad ridiculum me convertere sermonem: sed erit veri, non ridiculi caussa, imago. Dico, Socratem persimilem esse Silenis illis, qui in sculptorum tabernis sedent, fistulas tibiasve tenentes: οἳ διχάδε διοιχθέντες φαίνονται ἔνδοθεν ἀγάλματα ἔχοντες θεῶν: dico autem illum Satyro Marsyae similem esse (*).” Oculis ita nostris veluti subjicit Plato, quae affirmaverat de natura Socratis physiognomon ille, Zopyrus, quum deditum eum esse nulli non voluptatum libidinumque generi contenderet: nil aptius ad haec exprimenda Silenorum ac Satyrorum imagine, quam reapse adeo Socrates quodammodo capite ac vultu referebat. Sed pergat Alcibiades.

»Illis igitur te adspectu persimilem esse, ne tu quidem, o Socrates, negabis; in caeteris autem te referre illos, deinceps audi. Procaxne es, an

---

(*) *Symp.* 215 A.

non es? Si nolis confiteri, testes adducam equidem. Sed nonne etiam tibicen es longe illo admirabilior? Ille enim instrumentis demulcet hominum animos divinâ illa oris vi: tu autem in hoc duntaxat ab illo differs, ὅτι ἄνευ ὀργάνων ψιλοῖς λόγοις ταυτὸν τοῦτο ποιεῖς (†).” Talis nempe prorsus erat admirabilis illa Socra is in sermonibus vis. Non orator ille erat, qui dicendo probaret audientibus, arte se eloquendi excellere, quo magis hi ipsum suspicerent ac laudibus celebrarent: brevibus utebatur interrogatiunculis et vocibus de medio sumtis; sed his efficiebat, ut qui responderent, in semet ipsos respicerent: quales essent, quidque ipsis ad bene cogitandum beneque agendum et vivendum deesset, perspicerent: sic autem optimarum rerum studio atque amore inflammarentur. Quod suo ipse usu et experientiâ declarat Alcibiades. »Ego, viri, inquit, nisi plane viderer ebrius esse, dicerem vobis, interposito jurejurando, quemadmodum ipse fere hujus sermonibus affectus sim afficiarque etiamnunc. Ὅταν γὰρ ἀκούω, πολύ μοι μᾶλλον ἢ τῶν κορυβαντιώντων ἥ τε καρδία πηδᾷ, καὶ δάκρυα ἐκχεῖται ὑπὸ τῶν λόγων τῶν τούτου· ὁρῶ δὲ καὶ ἄλλους παμπόλλους τὰ αὐτὰ πάσχοντας. Periclem vero aliosve excellentes oratores audiens, bene

(*) Symp. 215 B, C.

illos verba facere existimavi, sed tale quid mihi nunquam accidit: *οὐδ' ἐτεθορύβητό μου ἡ ψυχὴ, οὐδ' ἠγανάκτει ὡς ἀνδραποδωδῶς διακειμένου· ἀλλ' ὑπὸ τουτουῒ τοῦ Μαρσύου πολλάκις δὴ οὕτω διετέθην, ὥςέ μοι δόξαι μὴ βιωτὸν εἶναι ἔχοντι ὡς ἔχω.*" Est autem haec, quam sibi optimus quisque orator maxime expetat, dicendi vis. Demosthenem laudarunt omnes omni aevo, quicunque artem dicendi tradiderunt, ejusque praestantiam contineri existimarunt verborum, quam vocarunt, *granditate:* ego vero dicendi simplicitatem maxime in viri Philippicis admiror. Sed talis illa est, qualis in Socratis sermonibus. Efficit dicendo, ut in semet ipsos Athenienses mentis oculum convertant: attendant, quam negligenter res egerint: videant, negligentiâ hac et socordiâ factum esse, ut dominetur in ipsos Philippus. Quod postquam effecit, exponit deinceps, quemadmodum semet ipsos corrigentes, res suas restituere possint ac facinora perpetrare, ipsorum majoribus digna. Socratica haec est in Demosthenis orationibus oratio: eâque factum unice est, ut excitaret ex illo sopore cives suos, hique secum invicem virtutis ac fortitudinis certamen inirent. Id autem perficere orator summus nec *granditate* verborum neque exquisitissimis quibusque eloquentiae artibus potuisset. Animadvertenda haec maxime sunt nobis, si penitus cognoscere tum

Demosthenem tum Socratem velimus (*). Sed, quo Socratici sermonis vim percipiamus interius etiam, haec attendamus item, quae addit illis Alcibiades: *καὶ ἔτι γε νῦν*, inquit, *ξύνοιδα ἐμαυτῷ, ὅτι εἰ ἐθέλοιμι παρέχειν τὰ ὦτα, οὐκ ἂν καρτερήσαιμι, ἀλλὰ ταυτὰ ἂν πάσχοιμι· ἀναγκάζει γάρ με ὁμολογεῖν, ὅτι πολλοῦ ἐνδεὴς ὢν αὐτὸς ἔτι, ἐμαυτοῦ μὲν ἀμελῶ, τὰ δ' Ἀθηναίων πράττω.* Vi ergo, quasi adversus Sirenum cantus, obturans aures, hunc fugio et vito, ne apud eum sedens consenescam. Accidit autem mihi hoc coram homine, quod haud facile quis putet mihi accidere, ut pudor me teneat cujuscunque viri; me vero hujus unius pudor tenet. Conscius enim mihi sum, refragari me non posse, facienda esse, quae me ille jubeat, ut vero ab eo discessero, populari me ambitione superari. Desero igitur illum et fugio: quodsi ipsum intueor denuo, promissorum me pudet: ut saepius cupiam, e vita eum discedere; rursus vero, si id acciderit, scio me longe id iniquius toleraturum: quamobrem, quo me vertam, aut quemadmodum illo utar homine, nescio (†)."

Quam autem nos in Socratis indole animadvertimus, conjunctam cum insitis vitiis, divinam,

---

(*) Cff. quae hac de re monui *Init.* Vol. II. Pars I. p. 84.
(†) *Symp.* 216 A.

qua se continebat regebatque, *αὐτοκρατείαν*, hanc item suo usu et experientiâ Alcibiades in eâdem magistri verâ, quamvis ludicrâ et festivâ laudatione probat ac declarat. Narrat, quemadmodum sollicitaverit aliquando Socratis animum, ut sibi gratificaretur. Dixisse se, ait: *ἐμοὶ μὲν γὰρ οὐδέν ἐςι πρεσβύτερον τοῦ ὡς ὅτι βέλτιςον ἐμὲ γενέσθαι· τούτου δὲ οἶμαί μοι συλλήπτορα οὐδένα κυριώτερον εἶναί σου· ἐγὼ δή τοιούτῳ ἀνδρὶ πολὺ μᾶλλον ἂν μὴ χαριζόμενος αἰσχυνοίμην τοὺς φρονίμους, ἢ, χαριζόμενος, τούς τε πολλοὺς καὶ ἄφρονας.* Ad haec respondisse Socratem *εἰρωνικῶς καὶ σφόδρα ἑαυτῷ εἰωθότως* refert. *Ὦ φίλε Ἀλκιβιάδη, κινδυνεύεις τῷ ὄντι οὐ φαῦλος εἶναι, εἴπερ ἀληθῆ τυγχάνει ὄντα ἃ λέγεις περὶ ἐμοῦ, καί τις ἔς' ἐν ἐμοὶ δύναμις, δι' ἧς ἂν σὺ γένοιο ἀμείνων — ἀλλ', ὦ μακάριε, ἄμεινον σκόπει, μή σε λανθάνω οὐδὲν ὤν· ἥ τοι τῆς διανοίας ὄψις ἄρχεται ὀξὺ βλέπειν, ὅταν ἡ τῶν ὀμμάτων τῆς ἀκμῆς λήγειν ἐπιχειρῇ· σὺ δὲ τούτων ἔτι πόῤῥω.* His autem auditis, quae molitus sit, narrat; addit vero solemnibus verbis: *εὖ γὰρ ἴςε, μὰ θεοὺς, μὰ θεὰς, οὐδὲν περιττότερον καταδεδαρθηκὼς ἀνέςην μετὰ Σωκράτους, ἢ εἰ μετὰ πατρὸς καθηῦδον, ἢ ἀδελφοῦ πρεσβυτέρου* (*).

Sed nos ad comparationem redeamus, qua Si-

(*) *Symp.* 218 D. 219 D.

lenis esse similem Socratem dixit, Intelligebat formas illorum, prouti in sculptorum officinis exstabant, pretiosissimis rebus asservandis destinatas, quae, intus cavae, *Deorum* continerent *imaginès*. Sic nempe se res habet, Nil magnopere Socrates habebat, quo se externâ specie commendaret, nec formam, nec eloquentiam, nec facultates, quibus regeret populos, nec caeteras, quibus elucebant alii, sive corporis sive ingenii dotes; sed intus, intus, inquam, *aurum* aderat, quod latebat vulgares homines, discipulos vero viri et familiares, qui admissi ab ipso ad interiora sacra fuerant, non latebat. Id vero, quale fuerit, divulgare non dubitat Alcibiades. Vim Socrati propriam commemorat divinam, qua ego, inquit, fieri melior debueram. Intus Socrati inesse dicit pulcritudinem admirabilem quandam, sua forma et pulcritudine longe longeque superiorem: hanc sibi spernendam, illam unice expetendam ducit: alteram autem cum altera permutare, id demum esse ait, τῷ ὄντι χρύσεα χαλκείων διαμείβεσθαι: sic enim licere pro specie pulcri veritatem assequi. Sed haec vis mira, haec pulcritudo qualis fuerit, age, plenius nobis Alcibiades explicet. »Intelligitur, ait, e sermonibus viri. Videntur illi continuo absurdi et ridiculi. Asinos loquitur stupidos, fabrosque aerarios et sutores, semperque his iisdem usus, eadem

dicere videtur, ut imperitus nec satis perspicax homo verba illa irrideat, *διοιγομένους δὲ ἰδὼν ἄν τις, καὶ ἐντὸς αὐτῶν γιγνόμενος, πρῶτον μὲν νοῦν ἔχοντας ἔνδον μόνους εὑρήσει τῶν λόγων, ἔπειτα θειοτάτους, καὶ πλεῖστα ἀγάλματα ἀρετῆς ἐν αὐτοῖς ἔχοντας, καὶ ἐπὶ πλεῖστον τείνοντας, μᾶλλον δὲ ἐπὶ πᾶν ὅσον προσήκει τῷ μέλλοντι καλῷ κἀγαθῷ ἔσεσθαι* (*).

Hic demum, ni fallor, verissimus est Socratis characterismus. Nos ei subjicimus, quod Alcibiades item in describendo viro non praetermisit, hominem plane *singularem* Socratem fuisse. Multa sunt alia, ait, et mirabilia, quae celebranda in viro videantur, sed talia sunt, qualia in aliis item hominibus inveniantur; *τὸ δὲ μηδενὶ ἀνθρώπων ὅμοιον εἶναι, μήτε τῶν παλαιῶν μήτε τῶν νῦν ὄντων, τοῦτο ἄξιον παντὸς θαύματος.* Alios cum aliis comparare licet, *οἷος δὲ οὑτοσὶ γέγονε τὴν ἀτοπίαν ἄνθρωπος, καὶ αὐτὸς καὶ οἱ λόγοι αὐτοῦ, οὐδ' ἐγγὺς ἂν εὕροι τὶς ζητῶν, οὔτε τῶν νῦν, οὔτε τῶν παλαιῶν· εἰ μὴ ἄρα οἷς ἐγὼ λέγω ἀπεικάζοι τὶς αὐτόν· ἀνθρώπων μὲν μηδενὶ, τοῖς δὲ Σειληνοῖς καὶ Σατύροις, αὐτόν τε καὶ τοὺς λόγους* (†).

Talis igitur Socrates fuit. Fuerunt facile ejus aetate et nullo non tempore Athenis, qui pariter essent mente animoque *αὐτοκράτορες*; fuerunt for-

---

(*) *Symp.* p. 221 E. (†) p. 221 C.

tasse alii, qui pariter *φιλόκαλοι* essent et *καλοκἀγαθοι ἄνδρες*: fuerunt item alii fortasse, qui pari essent ingenii acumine, pari disserendi subtilitate, pari discendi, cognoscendi, quin etiam semet ipsos cognoscendi studio: nec defuisse ulla aetate sive Athenis, sive aliis in terris videntur, qui pari virtute veritatem et justitiam vindicarent; sed qui sic, ut Socrates, conjunctas has ingenii animique dotes ac virtutes haberet, qui sic eas, ut ille, conjunctim et vivendo et philosophando proderet, sic eas item, ut ille, ad humanitatis meliorisque religionis caussam provehendam adhiberet, hujusmodi virum repertum fuisse, praeter illum, neminem arbitror. Propria scilicet ipsi *divina* illa inerat, quam perspexit in eo Plato, *animi vis et pulcritudo.*

QUAESTIONES ARISTOPHANEAE.

Est deus in nobis.

Haec habui, Sodales conjunctissimi, quae ad vos de Socrate scriberem. Juvat autem nonnihil etiam de Aristophane, Socratis ratione habita, quaerere: primum, quid egerit ille maxime *Nubibus* conscribendis: deinceps, quare Socratem in hac fabula, non Sophistarum aliquem, exagitaverit: porro, quare haud displicuisse Atheniensium populo fabula videatur: tum vero praecipue, quatenus dici Aristophanes Socratis ac Platonis prodromus possit, quaque in re hi illum longo post se intervallo reliquerint. Quibus explorandis solvendisque quaestionibus, non solum, ut auguror, de Socrate ejusque philosophia rectius etiam sublimiusque existimare discemus, sed viam quoque patefaciemus nobis, qua ad Platonem et sublimem divinamque, ut dici amat, Platonis philosophiam dijudicandam perveniamus.

I.

Quo spectant maxime Aristophanis Nubes?

Alia fuerunt longeque majora veterum comicorum, quam recentiorum, in conscribendis fabulis, consilia. Nam cum hi nobis mores hominum vitamque privatam repraesentent, antiqui illi et publicam vitam et res civitatis gravissimas attigerunt. Qua in re vehementer nocuerunt optimorum etiam civium famae et existimationi; veruntamen cum vitia subinde reipublicae latentia aperuerunt, tum perditos item cives, qui ad pessima quaeque plebem trahebant, ad veram populi salutem perstrinxerunt publice. Ipsi adeo comici poëtae in parabasibus, oratorum plane instar, populum alloquebantur, eratque eorum oratio non minus, quam Periclis primum ac deinde Demosthenis, ad commovendam civitatem efficax. Itaque haud ignotum cum in aliis populis Graecis, tum in ipsâ regis Persici aulâ, Aristophanis erat nomen, cujus quippe fabulae in res Atheniensium civiles et politicas vim habebant gravissimum.

Οὕτω δ' αὐτοῦ περὶ τῆς τόλμης ἤδη πόῤῥω κλέος ἥκει,
ὅτε καὶ βασιλεὺς, Λακεδαιμονίων τὴν πρεσβείαν βασανίζων
ἠρώτησε πρῶτα μὲν αὐτοὺς, πότεροι ταῖς ναυσὶ κρατοῦσιν,

εἶτα δὲ τοῦτον τὸν ποιητὴν, ποτέρους εἴποι κακὰ πολλά.
τούτους γὰρ ἔφη τοὺς ἀνθρώπους πολὺ βελτίους
γεγενῆσθαι,
καὶ τῷ πολέμῳ πολὺ νικήσειν, τοῦτον ξύμβουλον
ἔχοντας (*).

Salutem autem populi sui in primis spectavit Aristophanes, quum *Nubes* ederet. Nam eo valebat in primis comici consilium, ut cum caussam tueretur avitae religionis, tum palam faceret omnibus, quo prava adduceret juvenum disciplina, illa praesertim, qua et Deos contemnere et injuste vivere atque agere discerent. Sed ut patet hoc satis ex omni nostra superiore disputatione, ita illud quaerendum nobis deinceps est, quare Socratis personâ comicus, non alius cujusdam sive Sophistae, sive oratoris, ad caussam religionis ac justitiae vindicandam usus sit.

II.

Quare Socratem in hac fabula Aristophanes, non Sophistam aliquem, exagitavit?

Erat maxima comicorum illâ aetate παῤῥησία, ut non solum illustres in civitate viros adorirentur, sed ne ipsi quidem populo parcerent. Exprobrabant nonnunquam civibus suis pessima, quae in comi-

(*) Arist. *Acharn.* vs. 646.

tiis probaverant, decreta, ut legentes nos eorum fabulas, ipsas nobis legere Demosthenis orationes videamur. Veluti quod populo exprobrat Aristophanes, cum ducem elegisset Cleonem. Φασὶ γὰρ, ait:

Φασὶ γὰρ δυσβουλίαν
Τῇδε τῇ πόλει προσεῖναι· ταῦτα μέντοι τοὺς θεοὺς
Ἅττ' ἂν ὑμεῖς ἐξαμάρτητ', ἐπὶ τὸ βέλτιον τρέπειν (*).

Idem postea ubivis in Philippicis Demosthenes Atheniensibus libere objecit. Veruntamen, in summâ illâ dicendi libertate, caute tamen non attingebant sive superstitionem sive praejudicatas inveteratasque opiniones, tum cavebant, ne ea docerent aut commemorarent, quae vulgi captum superarent: perstringebant adeo in populi gratiam, qui horum alterutrum tentarent. Utrumque autem cum facere Socrates videretur, certatim hunc comici in scena exagitarunt. Sed operae pretium est, rem paulo distinctius exponere.

Quaesitum saepenumero est, quî factum sit, ut populus Atheniensis, qui suaviter ridere solebat, ubi in scena videbat Deos ridicula ratione informari, idem ille populus violatae religionis caussâ condemnaverit Socratem. Qua de re variae exstiterunt eruditorum sententiae. Nobis autem caussa reposita esse in ipsâ Socratis doctrinâ videtur. Nil

(*) *Nub.* vs. 587.

novi in his moliebantur comici. Ridiculâ erant specie in poëtarum, ipsius adeo Homeri, carminibus Dii. Vulcanus, ut hoc utar, apud Homerum, quum in Olympo claudicans matri Junoni, ut hanc cum patre conciliaret, poculum offerret, ait poëta:

ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν (*).

Quid dicam de eodem Vulcano apud eundem poëtam, quum Diis Deabusque monstraret uxorem suam Venerem, cum Marte retibus vinctam, cujus ridiculae rei ipse fuisset auctor, tum multo etiam magis risum excitabat Deorum immortalium. Sed in omni mythologia vix aliquis est vel deus vel heros, quin in ejus rebus multa exstent ridicula.

Quamobrem Aristophanes, quum in *Ranis* aliisque fabulis deridendos plane populo proponeret Deos atque heroes, nil committebat sane, quod novum esset, aut populi superstitioni repugnaret. Tale autem erat, quod moliri Socrates existimabatur. Videbatur is, prouti Diagoras atque Anaxagoras, Deos tollere, omninoque, quod nullo unquam tempore vulgus tulit, in re sacra *καινοτομεῖν*, *res novas moliri*. Quo factum maxime videtur, ut una cum Socrate Euripides, quippe similiter Anaxagorea illa probare visus, a comicis petere-

(*) *Iliad.* ά. 599.

tur. Versus nobis eorum quosdam, e quibus id patet, servavit Diogenes Laertius (*), uti Calliae in *Captivis*, ubi Euripidis fabulam respicit:

Ἤδη σὺ σεμνὴ καὶ φρονεῖς οὕτω μέγα·
Ἔξεςι γάρ μοι. Σωκράτης γὰρ αἴτιος.

et Mnesilochi:

Φρύγες ἐςὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ' Εὐριπίδου,
Ὧ καὶ Σωκράτης τὰ φρύγανα ὑποτίθησι.

Junxerunt ita comici fere Socratem et Euripidem, ut hic ab eodem Mnesilocho σωκρατόγομφος (†), vel, ut alii interpretantur, σωκρατογόμφους versus condere dictus sit, qui, dissoluti prorsus, Socratis γνώμαις, tanquam γόμφοις τισὶ, compacti in lucem prodiissent.

Sed dicat aliquis: quare Socratem Aristophanes, non Thrasimachum aut similem aliquem Sophistam, tanquam morum corruptorem induxit? Sophistarum, fateor, non Socratis doctrina ad morum corruptionem valuit. Verum similiter in his etiam, cum alii agere viderentur, quod non magnopere a morum consuetudine abhorrebat, unus videbatur Socrates *res novas moliri*. Nam tota illa Sophistarum disciplina, quamvis reapse labefactaret omnis doctrinae moralis fundamenta, ta-

(*) L. II. Seg. 19. 20. (†) Vid. Menag. ad Diog. Laert. ll. qui pro Μνησίλοχος legit Μνησίμαχος.

men non displicebat populo. Conjuncta erat cum dicendi arte, eâque mirifice commendabatur: nullus autem unquam populus fuit, qui lubentius, quam Atheniensis, soleret oratores audire. Tum etiam, quod sententias Sophistarum de justitia attinet, quasi *re* esset nulla, *specie* usurparetur, quo magis alii in alios impune dominarentur, ab hac opinandi temeritate non abhorrebat, pro levitate suâ, vulgus. Placebat adeo orator, qui laudatam a nonnullis Justitiam, diserta copiosaque oratione inutilem vanamque esse demonstraret. Quid vero Socrates? Videbatur is quidem, ut caeteri, Sophista esse et nullam non posse de rebus etiam gravissimis argumentationem dicendo refellere atque evertere, sed primum, privare ille populum audiendi voluptate nitebatur, cum non solum ipse eam repudiaret, sed etiam disertissimorum oratorum orationes interponendis quaestiunculis abrumperet: tum vero spectabat eâdem illâ usurpandâ percunctandi arte, quod longe longeque hominum captum superaret. Nam et veram inducere eloquentiam et recte consulere humanitati nitebatur. Inanem judicabat omnem dicendi artem, quae non proxime esset cum virtutis ac justitiae studio conjuncta. Quodsi quis dicendo pervenire ad summos in civitate honores cuperet, hanc ei legem praescribebat, ut priusquam eo contenderet, bonus fieri civis niteretur. In-

audita haec plane placita populo Atheniensium erant: cumque avertere eadem a reipublicae administratione generosae stirpis juvenes viderentur, talis tamque absurdae, ut videbatur, disciplinae auctor non poterat non innovator ac juventutis corruptor videri.

Ergo, uti commune cum caeteris Sophistis hoc habere dicebatur Socrates, ut nullam non sententiam dicendo argumentandoque posset evertere, ita illud esse proprium viro existimabatur, quod in re tam religionis, quam civitatis *nova moliri* videbatur.

Hospes autem sit necesse est in veterum civitatum historia, qui ignorat, hanc illic caussam in primis fuisse capitalem. Nam *καινοτομεῖν* illud, *res novas moliri* idem habebatur ac tyrannidem affectare. Quamobrem Cato ille Censorius apud Romanos, quum inveheretur vehementissime in Carneadem caeterosque Graecorum philosophos, nec Socrati quidem parceret, hunc dicebat tyrannidis docendae reum fuisse. Quod recte Plutarchus ambitioni Catonis adscribit. Sic agebat ille ac dicebat, ait, *ὅλως φιλοσοφίᾳ προσκεκρουκὼς, καὶ πᾶσαν Ἑλληνικὴν μοῦσαν καὶ παιδείαν ὑπὸ φιλοτιμίας προπηλακίζων* (*). Sed nos ad tertiam jam accedamus quaestionem nostram.

(*) Plutarchus. *Cat. Maj.* c. 23.

III.

Quare placuisse Atheniensium populo Nubes videntur?

Displicet multitudini philosophia. Philosophos adeo, quavis data opportunitate, ludibrio habere solet. Id omni tempore usus rerum docuit, nec Plato notare in scriptis suis, maxime in *Politia* et *Phaedone*, omisit (*). Delectabantur igitur mirifice spectatores, cum Socratem viderent, sublimem scilicet philosophum, in scena ἀεροβατοῦντα, aërem, nebulas, meteora observantem, eundemque minutissima negotia explorantem, veluti:

ψύλλαν, ὁπόσους ἅλλοιτο τοὺς αὑτῆς πόδας (†).

Utrarumque enim pariter, cum maximarum, tum minimarum rerum studium ridere in philosophis vulgus solet. Nec vero minus in spectantium multitudine indignationem excitabat poëta. Nam inest hominibus, quamvis etiam in opinando levibus ac vanis, inest cum veri justique sensus, tum rerum sacrarum reverentia, patentque haec dilucide, ubi ingens hominum turba congregata de rebus, quas vident audiuntque, ultro, nec ratione, sed sensu affectuque judicium prodit.

(*) *Phaed.* 64. B. (†) *Nubib.* vs. 145.

Quis ferre iccirco in theatro illo et religionem spretam poterat, et patrem, virorum optimum, a filio verberibus caesum? Accedebat, quod verbo jam attigimus, Socratis et species et habitus et vero dicendi vivendique consuetudo. Ἀνυπόδητος incedebat fere, meditabundus subinde per multas horas continuas eodem, quo stabat, loco immotus manebat, nec averti se inde sinebat. Deum insuper proprium sibi quendam dicebat, δαιμονιὸν ab ipso vocatum, cujus, ac si ipse vates aliquis esset, vaticinia edebat. Abhorrebant haec ab hominum consuetudine: quamobrem, ut fit, displicebant populo, quippe qui talia in aliis sibi similibus ferre non potest, quin odit etiam atque aversatur.

Quidni igitur placere Atheniensibus *Nubes* debuerunt? Nam perspicere populus nec virtutem viri, nec praeclarum, quod meditabatur ad cives emendandos, consilium poterat; quae vero spectabat, quae oculis cernebat, non solum mirum in modum ad ridendum movebant, sed una cum indignatione, optimarum etiam rerum, ipsius adeo religionis vindicandae studium in omnium animis movebant. Quid tandem de invidiâ, de obtrectatione, de malignitate dicam, quae item, non quidem turbae, sed tamen multis est propria? Simile in his negotium Socratis fuit, quod antea Aristidis: ferre ejus justitiam multi non poterant:

quamobrem deridendo viro delectabantur suavissime. Sed nos ad Aristophanem redeamus.

IV.

Quatenus dici Aristophanes Socratis et Platonis prodromus potest?

Fuit comici in *Nubibus* conscribendis, ut modo diximus, praeclarum propositum: idem fuit adeo, quod ipse Socrates et tunc secum volvebat et postea perfecit. Uterque prodesse naviter populo suo studebat. Attendamus id quod *justa* apud poëtam *oratio* pronunciat:

ἀλλ' οὖν ταῦτ' ἐςὶν ἐκεῖνα,
ἐξ ὧν ἄνδρας Μαραθωνομάχους ἡ 'μὴ παίδευσις
ἔθρεψε (*);

item, quod chorus solemnibus verbis profitetur. Haec se spectanda dedisse, ait, ut discat quisque Deos revereri:

ὅπως ἂν εἰδῇ τοὺς θεοὺς δεδοικέναι (†).

Id autem operae pretium est in dictis praecipue poëtae, ubi suâ ipse personâ loquitur, animadvertere. In *Acharnensibus* apologiam dicit. Insimulatus, inquit, ab Atheniensibus ταχυβού-

(*) *Nub.* vs. 985. (†) Ibid. vs. 1460. Cf. vs. 1024.

λοις respondet poëta apud Athenienses *μεταβούλους*:

φησὶν δ' εἶναι πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιος ὑμῖν ὁ ποιητὴς,
παύσας ὑμᾶς ξενικοῖσι λόγοις μὴ λίαν ἐξαπατᾶσθαι,
μήθ' ἥδεσθαι θωπευομένους (*).

Tum etiam:

φησὶν δ' ὑμᾶς πολλὰ διδάξειν ἀγάθ', ὡς εὐδαίμονας εἶναι,
οὐ θωπεύων, οὐθ' ὑποτείνων μισθοὺς, οὔτ' ἐξαπατύλλων,
οὔτε πανουργῶν, οὔτε κατάρδων, ἀλλὰ τὰ βέλτιςα διδάσκων (†).

Haec libere profitetur, quippe qui non dubitat ad Athenienses, quae justa sunt, dicere:

ὅςις παρεκινδύνευσεν Ἀθηναίοις εἰπεῖν τὰ δίκαια (§).

Nescio, quid aliis videatur: ego mihi audire in his idem videor, quod postea et Plato in *Apologia Socratis* et Demosthenes in suâ ipse apologiâ, quae oratione *de Corona* continetur, dixit: idem in illis candor, eadem *παῤῥησία*, eadem veritatis ac justitiae vox.

Praecessit ita Socratem et Platonem Aristophanes: Plato autem dici non potest, quantum in scribendo debuerit comico poëtae, cum ad dialecti Atticae venustatem, tum ad dramatis formam, ad colloquii proprietatem ac facilitatem, ad personarum

---

(*) *Acharn.* 638. (†) Ibid. 655. (§) Ibid. 645.

mores et varietatem, tum vero etiam, quae non minima ejus laus est, ad pingendam plane Attici populi ac civitatis Atheniensis indolem, mores, levitatem, regimen rerumque omnium inconstantiam ac fluctuationem. Apud Aristophanem populus est seni surdastro similis, quem illudunt pueri:

νῷν γάρ ἐςι δεσπότης
Ἄγροικος ὀργὴν, κυαμοτρὼξ, ἀκρόχολος,
Δῆμος πνυκίτης, δύσκολον γερόντιον,
ὑπόκωφον (*).

Similiter Plato eundem descripsit in *Politia* populum, non imitans quidem poëtam, quod cadere in talem virum non poterat, sed tamen sic informans populi imaginem, ut debuisse nonnihil comico videatur. Est apud eum Atheniensis populus classis gubernator, *μεγέθει μὲν καὶ ῥώμῃ ὑπὲρ τοὺς ἐν τῇ νηὶ ἅπαντας, ὑπόκωφος δὲ καὶ ὁρῶν ὡσαύτως βραχύ τι καὶ γιγνώσκων περὶ ναυτικῶν ἕτερα τοιαῦτα* (†). Quid plura? Cum totum se dedisset Aristophanes ad mores repraesentandos aetatis suae, ut comoedia apud ipsum esset, quod Cicero ait, *imitatio vitae, speculum consuetudinis, imago veritatis* (§), Plato, qui, ut philosophus erat, ita non minus erat dramaticus

---

(*) *Equit.* vs. 40. (†) Plato, *de Republ.* VI. 488 A.
(§) *De Rep.* IV. 110.

scriptor, non poterat non e principe hoc comicorum multum proficere: profecit autem in primis, quod item affirmare de Socrate licet, ad mores emendandos civium. Quo minus sane nobis accidere mirum debet, Socratem, quod Veteres memoraverunt, interfuisse spectatoribus nonnunquam, quum *Nubes* agerentur, tum etiam, Platonem Aristophani in *Symposio* suo partes dicendi tribuisse; imo vero epigrammatis in Aristophanem auctorem Platonem habuisse antiquos:

Αἱ Χάριτες τέμενός τι λαβεῖν, ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται,
Ζητοῦσαι, ψυχὴν εὗρον Ἀριςοφάνους (*).

Sed quamvis ita reapse Aristophanes Socratis fuerit et Platonis prodromus, aberat tamen longe, ut eodem, quo Socrates, modo prodesse civibus niteretur. Nam, ut paucis complectar, *civitatis* unice caussam Aristophanes spectabat, *humanitatis* vero insuper, et maxime quidem Socrates. Id nobis praecipue attendendum, si non solum, quatenus hos philosophos praecesserit comicus, sed etiam, qua in re hi illum anteverterint ac superaverint, velimus inquirere.

(*) Olympiod. *Vita Plat.*

V.

Qua in re Aristophanem Socrates et Plato longe post se intervallo reliquerunt?

Qualis quantusque vir esset Socrates, qualemque hic esset in generis humani usum philosophiam conditurus, Aristophanes non poterat illâ aetate perspicere, ipse nondum scivisse aut suspicatus esse Socrates videtur. Contra se res habebat. Erant in Socratica philosophandi ratione, quae Aristophanes reprehendenda putaret: quippe quae continuo non poterat civitati prodesse, imo vero nocebat. Nam primum cum juvenes ille praeclaris de Deo imbuerat sententiis, quas e Xenophonte attulimus, fieri facile poterat, ut horum nonnulli Deos eorumque cultum et imagines ludibrio haberent. Quod fecit, ut constat, cum Hermas turbaret, Alcibiades, nec improbanda videtur Forchhammeri conjectura, existimantis, Phidippidis personâ Aristophanem Alcibiadis mores expressisse (*). Porro, non minus videbatur Socrates gravissimis civitatis rebus nocere, cum eo, quo diximus, modo, generosae stirpis adolescentes a re publica averteret. Frustra id tentavit, quoties et Alcibiadem et Critiam et similis indolis juvenes monebat, ut

(*) Vid. l. l. p. 25.

priusquam civitatem capesserent, semet ipsos et cognoscerent et corrigerent: verum alios permultos, ipsumque Platonem postea, reapse his monitis a reipublicae administratione retinuisse videtur: effecitque ita, ut ipsius discipuli magnam partem, non solum muneribus publicis non obeundis, *democratiam*, avitam illam, ab ipso Solone inductam ac stabilitam regiminis formam sustentarent, sed in alia omnia abirent: Xenophon perfectam monarchiam, perfectam aristocratiam Plato informaret: Plato adeo in *Politia* ipsam Atheniensium democratiam, qualis suâ erat aetate, ridicula prorsus specie legentibus proponeret. Tum etiam Socrates, quum quaereret semper, quid pium esset, quid bonum, quid justum, contenderetque id unice viro in rebus agendis totaque vita respiciendum esse, eo perducebat juvenes facile, ut hi in pietatis, veritatis ac justitiae caussâ agendâ et tuendâ, nec aliis nec vero parentibus adeo, qui temere in his versabantur, parcerent: quod omnium maxime videbatur civitati civiumque moribus obesse. Haec erant, quae in Socrate non sine veri specie reprehenderet aetate suá comicus, eademque post eum sive caussae sive praetextus fuerunt, ut morte philosophus damnaretur. Verum nec Aristophanes, nec alius quispiam in universo populo Atheniensi perspiciebat, quo tenderet proprie Socratis consilium, quantoque hoc majus, quam

quod caeteri agebant, esset: non videbant, vatem illum philosophiae novae esse, quae, quamvis non continuo videretur civitati prodesse atque abusu adeo noceret reapse, una esset apta destinataque ad civium humanitatem provehendam: sic autem aliquando civitatibus non minus, quam singularibus quibusque hominibus prodesse deberet. Latebant haec Aristophanem et aequales omnes: posteris demum patuerunt, quum in scholis Socraticorum de vitâ et moribus, rebusque bonis et malis quaereretur, praesertim vero, quum haec ipsa philosophia, ut supra significavimus, vim haberet in eloquentiam ac politicam atque utramque hanc veluti animare coepisset; illud dico tempus, quo primam *Philippicam* dicebat Demosthenes. Tum patuit maxime, quanto post se intervallo Aristophanem Socrates et Plato reliquissent.

VI.

SOCRATES,

PHILOSOPHIAE APUD ATHENIENSES ET RELIGIONIS VATES.

Haec de Aristophaneis, quas proposuimus, quaestionibus sufficiant. Verum nos, ut supra cognoscere interius Socratem, eumque explorare totum, qualis indole ingenioque fuerit, studuimus, ita nunc virum nobis agentem, quemadmodum in me-

diâ civitate egit vixitque, repraesentemus. Nam *vatis* ille aut *prophetae* instar, divinitus se missum arbitrabatur, qui cives suos monendo, cohortando, concitando, ad veritatem, ad justitiam honestatemque adduceret. Talem se nobis in Platonica *Apologia* conspiciendum praebet: *νῦν οὖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πολλοῦ δέω ἐγὼ ὑπὲρ ἐμαυτοῦ ἀπολογεῖσθαι, ὥς τις ἂν οἴοιτο, ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν, μή ἐξαμάρτητε περὶ τὴν τοῦ θεοῦ δόσιν ὑμῖν, ἐμοῦ καταψηφισάμενοι· ἐὰν γάρ με ἀποκτείνητε, οὐ ῥᾳδίως ἄλλον τοιοῦτον εὑρήσετε ἀτεχνῶς (εἰ καὶ γελοιότερον εἰπεῖν) προσκείμενον τῇ πόλει ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ὥσπερ ἵππῳ μεγάλῳ μὲν καὶ γενναίῳ, ὑπὸ μεγέθους δὲ νωθροτέρῳ, καὶ δεομένῳ ἐγείρεσθαι ὑπὸ μύωπός τινος· οἷον δή μοι δοκεῖ ὁ θεὸς ἐμὲ τῇ πόλει προστεθεικέναι τοιοῦτόν τινα, ὃς ὑμᾶς ἐγείρων καὶ πείθων, καὶ ὀνειδίζων ἕνα ἕκαςον, οὐδὲν παύομαι τὴν ἡμέραν ὅλην πανταχοῦ προσκαθίζων· τοιοῦτος οὖν ἄλλος οὐ ῥᾳδίως ὑμῖν γενήσεται, ὦ ἄνδρες· ἀλλ' ἐὰν ἐμοὶ πείθησθε, φείσεσθέ μου· ὑμεῖς δ' ἴσως τάχ' ἂν ἀχθόμενοι, ὥσπερ οἱ νυςάζοντες ἐγειρόμενοι, κρούσαντες ἄν με, πειθόμενοι Ἀνύτῳ, ῥᾳδίως ἂν ἀποκτείνητε· εἶτα τὸν λοιπὸν χρόνον καθεύδοντες διατελοῖτε ἄν, εἰ μή τινα ἄλλον ὑμῖν ὁ θεὸς ἐπιπέμψειε, κηδόμενος ὑμῶν* (*).

Vates autem illos ac prophetas, qui olim fue-

(*) *Apol. S.* 30 D. — 31 A.

runt, prouti Calchantem, Tiresiam, similes, cum paupertate referebat Socrates, tum opum divitiarumque contemtu, tum morum simplicitate et continentiâ, tum etiam daemonii sui frequenter mentione faciendâ, tum vero omnium maxime παῤῥησίᾳ rerumque gravissimarum ac divinarum studio atque ardore. *Ego*, dicebat publice, *Deos revereri magis*, *quam homines*, *soleo*. Nec temere dialogi auctor, qui *Clitophon* inscribitur, Socratem nobis proponit, tanquam e machinâ tragicâ deum hominibus increpantem: ποί φέρεσθε, ἄνθρωποι, καὶ ἀγνοεῖτε, οὐδὲν τῶν δεόντων πράττοντες, quem locum certatim Socratici, posterique omnino scriptores et oratores, Dio Chrysostomus, Arrianus, Aristides, Themistius, Julianus, ipse etiam Lactantius imitando celebrarunt (*): Demosthenes autem non imitando, sed suâ ipse dicendi, monendi, cohortandique ratione, tanquam alter Socrates, in omnibus *Philippicis* expressit. Nam quid in illis frequentius est, quid dominatur in illis magis sententiâ illâ: πότ' οὖν, ὦ ἄνδρες 'Αθηναῖοι, πότε ἃ χρὴ πράξετε;

Sed Socratis nos etiam asseclas et sectatores consideremus. Nam uti cognoscitur ejus philosophia e sectarum, quae ex illa manarunt, doc-

(*) *Clitoph.* 407 a. Cf. Wyttb. ad Julian. *Bibl. Crit.* III. 1. p. 43.

trinis, ita vivendi ejus rationem referunt nobis, qui ipsum sectati imitatique sunt maxime philosophi. Ne dicam de Aristodemo illo σμικρῷ, qui Socratis sui instar, semper prodire ἀνυπόδητος solebat (*), Cynici philosophi cum vitae morumque simplicitate, tum in primis loquendi libertate, sicuti vates omnis aevi, a caeteris se omnibus distinxerunt. Non magis Alexandrum Diogenes, quam Tiresias apud tragicos Thebarum reges, in dicendo reverebatur (†). Fuit autem haec eorum παῤῥησία, imo contumacia, plane ut Tiresiae cum pari prudentia ac rerum humanarum perspicientia conjuncta. Antisthenis, Diogenis, Cratetis caeterorumque fere Cynicorum sententiae sic celebratae a posteris sunt, quasi vatum fuissent ac prophetarum effata. Verum hoc praecipue de omnibus Socratis cum admiratoribus, tum aemulis et sectatoribus tenendum est. Fuerunt illi vita moribusque perquam a se invicem diversi: alia erat plane Aristippi, alia Antisthenis ac Diogenis, alia item Platonis vita; veruntamen hoc omnes habebant commune, ut non abderent sese, non in obscuro laterent, non sibi viverent: contra in mediis civitatibus, in oculis civium, in hominum luce versabantur; sic

(*) Plat. *Symp.* 173. B. (†) Vid. Soph. *Oedipo tyranno* et *Antigone*.

autem vivebant, ut omnibus ad bene vivendum praeceptis moribusque ipsi suis praeirent. Non functi sunt magnopere, neque hi, neque qui postea ex eadem disciplina exstiterunt philosophi, gravioribus in re publica muneribus; nec tamen defuerunt civibus suis. Eo contenderunt omnes, ut, qui praeessent civitatibus, boni fierent viri, nec solum eas prudenter, sed etiam ad provehendam civium cum honestatem tum felicitatem regerent. Quo maxime consilio Plato instituere Syracusanorum regem ad recte vivendum studuit. Nec vero id frustra egerunt. Platonis haec fuit celebratissima vox: tùm denique fore beatas respublicas, si aut docti ac sapientes homines eas regere coepissent, aut ii, qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocarent (*). Quam sententiam non inanem fuisse quandam, sed verissimam, non frustra id spectasse post Socratem et Platonem philosophos, ut ope philosophiae beatas efficerent respublicas, Antoninorum tandem aevum comprobavit. Expletum ita sero quidem, sed tamen expletum est nobilissimum illud Socraticae scholae vaticinium.

Prodromus Socratis Aristophanes fuit, quippe qui primus in *Nubibus* de coelo devocavit philosophiam atque in domos, in res domesticas et

---

(*) *De Rep.* VI. de Cic. vers. ad Q. Fr. I. 1. 10.

familiares, ut recte educare parentes filios discerent, introduxit; sed pariter dici rursus Socrates eorum prodromus potest, qui hanc vitae philosophiam ad moderanda imperia conferrent. Nec vero hos praecessit solummodo, sed illorum pariter habendus prodromus videtur, qui aliquot post ipsum saeculis, verissimam hominibus i. e. Christianam tradiderunt religionem. Nam fuit ille reapse cum religionis novae, tum novae ad instituendam juventutem philosophiae, quam Plato post eum explicuit et fundavit, vates ac vindex, idemque ad utramque inducendam veluti viam stravit. Fecit autem illud non repudiando, qui aderat, Deorum cultu: ipse, Xenophonte teste, pariter ac caeteri homines Attici, sacris intererat omnibus. Nec vero novis ferendis legibus novave instituenda reipublicae formâ: quantâ fuerit legum, quae exstarent, reverentiâ, atque observantiâ, Platonis *Crito* probat; sed fecit, illâ cum docendâ, tum tuendâ philosophiâ, quae Graecis itemque Romanis deinceps instar fuit et religionis melioris et optimae ad excolendos homines disciplinae. Abest, fateor, multum, ut sic meruisse Socrates de humano genere dici possit, ut meruerunt post eum verissimae religionis nuncii ac propagatores: civibus consulebat suis, non extraneis: ingenuis, non servis: Graecis, non barbaris: nec nisi cultioribus viris

ejus philosophia profuit. Veruntamen, quo facilius religio, quae, utpote optima ipsa purissimaque, ita optimam et purissimam continebat morum disciplinam, per universum terrarum orbem propagaretur, quoque uberiores ad humanitatem fructus proferret, huc valuit, huc, inquam, in primis, quam ille prodidit, philosophia.

PLATO ET ARISTOTELES.

PLATO ET ARISTOTELES.

DISQUISITIONES CRITICAE

DE

PLATONICA ET ARISTOTELICA PHILOSOPHIA.

ACCEDUNT

QUAESTIONES CRITICAE.

AD

VIROS ERUDITISSIMOS,

ACADEMIAE FRANCICAE

DOCTRINARUM MORALIUM ET POLITICARUM

SOCIOS.

Ut diversae fuerunt omni aevo, Sodales conjunctissimi, quae de ingenio moribusque Socratis exstiterunt sententiae, ita magis etiam a se invicem discesserunt viri docti ac philosophi, ubi de comparanda conciliandaque Platonis et Aristotelis philosophia disceptarunt. Agitatae hae lites cum aevo medio ferme toto, tum Petrarchae in primis aetate sunt; graves autem et acerbae esse temporibus Mediceorum coeperunt, quum hi instaurare Platonicam philosophiam niterentur, Grae-

ci vero, Georgius Trapezuntius atque ante eum Theodorus Gaza Aristotelicam propugnarent. Ab hoc inde tempore maxime in diversissimas et contrarias adeo partes Platonici et Aristotelici abierunt, ut, prouti illi Platonem, ita hi Aristotelem unicum haberent philosophiae ducem, eoque gravius in alterum eorum inveherentur, quo alterum colebant atque venerabantur magis. Factum autem sic est, ut et tunc et postea conciliandi conjungendique utriusque philosophi ratio quaereretur (*). Tentarunt rem difficillimam complures; verum id non satis egisse data opera videntur, ut, anteaquam ad conjungendam Platonis et Aristotelis philosophiam accederent, distinguerent a se invicem utriusque philosophandi rationem: id autem quicunque negligit, facile is commiscere utriusque philosophi placita potest, recte vero conjungere conjunctaque adaptare suorum temporum usui nullo modo potest.

Equidem, Sodales, prouti nuper ad Instituti Belgici socios de Socratis ingenio moribusque scripsi, ita vobiscum nunc agere de Platone et

(*) Comparationem Platonis et Aristotelis instituerunt Saec. XVI Georg. Trapezuntius, Gemistus, Gaudentius, Mazonius, Carpentarius, Bachmannus: Saec. XVII in primis Rapin. *comparaison de Platon et d'Aristote.* 1671. Cf. Rami Gallandi, aliorumque de Arist. disputationes. De conciliatione utriusque philosophi in primis Foxius, *de naturae philosophia s. de Plat. et Arist. consensione* 1622. Cf. Tiraboschi, *Storia della lit. Italica.*

Aristotele eorumque philosophia in animum induxi. Est haec quippe temporum nostrorum ratio, ut nec appellari Platonici aut Aristotelici, neque etiam haberi sive Cartesii, sive Lockii, sive Kantii, sive cujuscunque tandem philosophi asseclae et sectatores velimus: esse vero ipsi philosophi et eligere ex optimorum quorumcunque philosophorum placitis optima quaeque studeamus. Quo in generosissimo explendo studio advertant animos nostros prae caeteris omnibus necesse est duumviri illi antiqui, longe omnium celebratissimi, Plato et Aristoteles. Nam horum ex fonte ut omnes hauserunt, quicunque post ipsos philosophiae navarunt operam, ita nobis etiamnunc hauriendum est, si quidem elegantiorum artium literarumque et vero doctrinarum studiis prodesse cupiamus. Est autem cum delectu res instituenda. Nam nocere nobis uterque philosophus potest, ubi vel e Platone assumimus, quae poësin magis, quam philosophiam deceant, vel Aristotelis hoc consilio dialecticâ atque metaphysicâ utimur, quo facilius certiusque in omnes et philosophos et philosophorum doctrinas dominemur. Quorum alterutrum si commiserimus, *δοξόσοφοι* erimus habebimurque facile apud vulgus *σοφοί*: *φιλόσοφοι* vero, quales esse nos unice oportet, non erimus. Vera demum philosophia haec, me judice, est, quae e principiis ducta Socraticae

disciplinae, e Platone eligit potissimum, quae ad mundum moralem, ex Aristotele vero, quae ad physicum mundum cognoscendum valent, ex utroque autem philosopho methodum petit, qua nosmet ipsi, tanquam instrumento, usi, utrumque nobis mundum aperiamus. Haec, si qua alia, cum *vera* philosophia est, nostris maxime apta temporibus, tum una rectissime *eclectica* dicenda. Quod cum saepenumero reputarem mecum, nil mihi suscipere majus posse nec aetati nostrae convenientius salutariusque visus sum, quam ut utriusque philosophiae, Platonicae atque Aristoteleae cum naturam indagarem, tum diversitatem animadverterem, tum etiam, quoad ejus fieri diligentissime posset, characterem exprimerem: adhiberem autem eo non scripta solum ipsorum philosophorum, quamquam haec nobis esse praecipui fontes debent, sed etiam omnem philosophiae historiam, in qua scilicet, tanquam in ampliore spatio, utriusque philosophiae discrimen maximaque diversitas conspicitur. Quod num recte susceperim probabiliterque perfecerim, vestro, Sodales, judicio subjicio; sic autem vos velim de me existimetis, esse alios, qui in colendâ philosophiâ antiquâ progressus fecerint longe majores, sed, qui ardentius provehere et ipsam philosophiam, et, per philosophiam, gravissimam humanitatis caussam cupiat, facile esse neminem.

PLATO.

DISQUISITIO CRITICA
DE
PLATONICAE PHILOSOPHIAE CHARACTERE.

ἀλλ᾽ οὐ γὰρ πρό γε ἀληθείας
τιμήτεος ἀνήρ.
Plato de Homero.

Divinus fere philosophus Plato dictus est; nec vero temere hoc illi nomen venit. Nam sive formam philosophandi, quam usurpavit, spectamus, poëtica est, qua nihil esse sublimius, nihil divinius putatur; sive ipsa agitur philosophia viri, fuit illa Graecis, adde et Romanis, purioris religionis instar. Quamobrem, si recte judicare de summo philosopho velimus, cum forma illa philosophandi poëtica, qualis sit, exploranda, tum vero adumbranda exprimendaque ipsius philosophiae Platonicae ratio videtur. Nam abusi utraque multi sunt, qui ad Platonis imitationem vel poëtice de philosophiae argumentis scriberent, vel etiam sic philosopharentur, ut tota ipsorum doctrina ad mysticorum, ne dicam, ad fanaticorum rationem tenderet. Quo factum maxime est, ut

idem ille Plato vel scriptor haberetur levis atque inanis, qui flosculis exornasset poëticis orationem suam, vel inanium diceretur somniorum in philosophia auctor. Ego in tradendis *philosophiae Platonicae initiis* lectores ad haec sacra adducere, iisque veluti *initiare* studui; nec minus formam philosophiae illius celebratissimae, quam naturam et indolem spectavi: restabat vero, ut de ipso agerem Platone: indagarem, qualis ille ingenio fuisset; qua maxime esset usus scribendi, tum vero praesertim philosophandi ratione, nec ejus laudes solum ac merita in philosophiam et generis humani caussas gravissimas attenderem ac celebrarem, sed vitia item viri, quorum sane ipse, quamvis *divinus* fere *philosophus* dictus sit, non immunis fuisse videtur, notarem; omnino tam Platonis, quam philosophiae, quam proposuit, characterismum conficerem.

Feci id simili, nec tamen eadem, qua Socratem exploravi, ratione. Nam de ipso Platone tam veteres, quam recentiores consenserunt fere. Non ita ille, ut Socrates, ab aliis in coelum laudibus elatus, ab aliis pessimis perversissimisque annumeratus hominibus est: admirati eum omnes sunt, multi adeo amarunt dilexeruntque vehementer. Sed de philosophia viri orta est contentio: nec desunt hodie etiam, qui vel laudent

eam nimis vel vituperent. Quamobrem haec critica nostra disputatio ad philosophiam maxime Platonis pertinebit. Eo autem equidem lubentius tam de Platone, quam de Socrate disserui, quo plus deberi utriusque doctrinae, cum ad ingenii cultum, tum ad morum humanitatem, meo ipse usu expertus sum (*).

(*) Fervere hoc nostro in primis saeculo Platonis studium coepit: quod recte notarunt nuper duo scriptores Anglici anonymi. V. *The quarterly Review.* April 1838 et *The British Critik and quarterly theological Review.* July 1838. Egit de eo potissimum cum in Germania Schleiermacherus, tum in Francia Cousinus: utrique versionem philosophi, illi Germanicam, huic Francicam debemus. De ipsa autem Platonis philosophia ut duumviri hi praeclare meruerunt, ita aliorum exstiterunt eximiae de ea disquisitiones; ut Morgensternii, Tennemanni, Astii, Stallbaumii, aliorum. Recensuit eos Krug, *Gesch. d. Philos. alter Zeit.* p. 206 sqq. Cf. Tennemann, *System der Plat. Philos.* Praef. Addo illis disputationes in patriis Academiis scriptas, J. L. G. de Geer, *Diat. in politices Platonicae principia.* Traj. ad Rh. 1810. C. A. den Tex, *De vi musices ad excolendum hominem, e sententia Platonis.* Traj. ad Rh. 1816. P. A. Reynders, *Diat. in Platonis Symposium, sive placitum de amore.* Gron. 1821. W. Bausch, *De Platonis dialogo Phaedro,* Gron. 1822. A. Ekker, *Spec. in Protagorae apud Platonem fabulam de Prometheo et generis humani ad humanitatem progressione.* Traj. ad Rh. 1822. Th. Lenz, *Comm. de argumento Theaeteti, ut appareat, quaenam Platonis de scientia sententia sit.* Ann. Leod. 1822—1823. G. Groen van Prinsterer, *Prosopographia Platonis.* L. B. 1823. J. B. Keiser, *Comparatio placitorum Platonis et Aristotelis de ratione et principiis artis poëticae.* Ann. Leod. 1826—1827. A. J. van Beeck Calkoen et J. de Vuller, *Commentt. de Platonis Phaedone.* Ann. Traj. 1828—1829. N. S. Sybrandi, *De Gorgia Platonis.* Harl. 1829. J. Tideman, *De Deo Platonis.* Amst. 1830. D. Gorter, *De Platonis Symposio Dia-*

Ut recte nobis liceat de philosophia Platonis judicare, praemittenda judicio disquisitio est de scriptis viri. Haec temere neglexerunt philosophi fere, illi maxime, qui, quo magis sua probarent commendarentque placita, Platonis adhibuerunt auctoritatem: quo factum, ut haud facile fuerit ullo tempore philosophus, cujus sententiae, ita, ut Platonis, ad ineptissima quaeque commenta confirmanda usurpatae sint. Quamobrem praeclare profecto de litteris et philosophia meritus Ruhnkenius est. Nam *Platonis cognitionem*, ut ait Wyttenbachius, *quum pauci adhuc attigissent literati eamque fere, ut vacuam possessionem et philosophis relinquerent et ipsis eam cum infrequenter colentibus, tum illiberaliter et inficete ac sine Graecarum scientia literarum tractantibus, ut auctoris sententiam ad ineptissimum quodque commentum detorquerent et a germano veri pulcrique sensu ad scholasticas nugas converterent: Ruhnkenius ad veram grammaticam interpretationem, solam certae intelligentiae effectricem, primus et signum sustulit, et viam patefecit, patefactamque illustravit, edito eruditissimisque commentariis ornato explicitoque*

---

logi tres. Ann. Traj. 1831—1832. J. de Vuller, *Diat. in Socraticam ἐπαγωγὴν, praesertim e Xenophontis Memorabilibus ductam*. Traj. ad Rh. 1832. J. C. Badon Ghyben, *Diat. in Socratis ironiam*. Zutph. 1833.

Timaei Lexico vocum Platonicarum (*). — Nec vero sufficiebat, eodem judice Wyttenbachio, voces Platonicas illustrare: quamquam grammatica haec interpretatio omnis interpretationis fundamentum est: oportebat item e scriptis Platonis, recte expositis, ipsam in luce ponere Platonis philosophiam: qua in re ipse mihi vir desideratissimus cum immortalibus suis commentariis ac disquisitionibus, tum sermonibus item familiaribus, viam praeivit. Quapropter nobis nunc quidem maxime, quippe de Platone ejusque philosophia judicaturis, ab ejus scriptis ordiendum est. Et haec quidem cum tantum non omnia dialogi sint, dialogi autem illi non colloquia, sed dramata, imo mimi sint habendi, primum nobis erit de Platone *Mimographo* agendum.

PLATO

MIMOGRAPHUS AC DRAMATIS PHILOSOPHI INVENTOR.

Ut erat Plato indole ingenioque ad philosophiam excolendam destinatus, ita videbatur adolescens poëta futurus; qua in re ipsi cum Euri-

(*) Wyttenb. *vita Ruhnkenii*. p. 48.

pide similitudo intercessit quaedam. Nam de hoc item dubium visum est, magisne poëta, an philosophus natus esset: quo accidit, ut, de communi Veterum sententiâ *de scena philosophus* dictus fuerit. Sed Plato postquam cum alia, tum dramata, tum etiam tragoedias scripserat, auctore optimo philosophiae magistro, Socrate, a scena totus ad philosophiam revocatus est; sic tamen eam reliquit, ut Musas non repudiaret, imo vero, harum adhiberet gratiam et suavitatem ad recte philosophiam cum colendam, tum civibus suis omninoque Graecis commendandam. Legerat scilicet optimos quosque superiorum temporum poëtas, in his philosophos, qui carminibus celebraverant placita sua, Eleaticos praesertim et Pythagoreos: quorum philosophia eo magis ejus animum ceperat eoque ipsum tenebat constantius, quo sublimior eorum oratio erat, quippe vere poëtica. Accedebat cum tragicorum, tum Aristophanis, tum vero etiam Sophronis lectio. In illis maximeque in Aristophane forma ei mirifice placebat dialogi: in Sophronis autem mimis totus mente animoque erat et quasi habitabat, ut, quod nobis Veteres memoriae prodiderunt, dormitum iturus mimos illos pulvinari suo subjiceret (*). Non mirum iccirco, Platonem, cum primum scri-

(*) V. Valcken. *Comment. in Theocrit. Adon.* p. 194.

bere de philosophia institueret, dramatum forma usum esse et mimos scripsisse philosophos. Id sane nobis primum diligentissimeque attendendum est, si recte et legere et intelligere viri scripta velimus.

Non condere statim Plato opera philosopha aggressus est, ut postea egit Aristoteles, itemque ante eum fecerant Heraclitus, Anaxagoras, Hippocrates: neque etiam, ut Xenophon aliique bene multi condiscipulorum, Socratis retulit sermones: *mimos* scripsit continuo, tum *dramata*. Quorum quae natura, quae ratio sit, paucis primum explanandum.

In primis scriptis Platonis *Protagoras* censetur, qui mimus est plane Socraticus, ad Sophronis rationem scriptus, ut patet nobis e Theocriti Adoniazusis, qui imitando nobis Sophronem referre videtur. In Theocriteo hoc mimo vitae familiaris consuetudo veluti imagine exprimitur. Gorgo amicae Praxinoae aedes adit, ut una cum illâ deinde templum petat ibique Adonia spectet. Argumentum perquam simplex; nos vero inter legendum totam Praxinoae rem domesticam nobis cernere videmur, imo mores cognoscimus utriusque mulieris. Videmus, ut intret Gorgo cubiculum, fatigata longo itinere; audimus, ut marito irascatur, qui in extrema urbis parte domum, imo nidum ipsi emerit; cernimus infantu-

lum, Praxinoae filium, admirantem et obstupescentem, haec ita a matre in patrem dici: ὅρη, γυναὶ, ὡς ποτορῇ τύ. Quid plura? nam quis ita est ab omni humanitate alienus, quin mimum hunc totum menti habeat praesentem?

Horum autem omnium, quae ita prorsus videre et audire nobis inter legendum videmur, nihil poëta suis ipse verbis descripsit: expressa sunt ipsis sermonibus mulierum. Sic et *Protagoras* Platonis et caeteri ejus dialogi, quos primum et recens a dramatum scriptione scripsit. Continent non domesticam hominum, sed, utpote mimi philosophi, publicam Sophistarum vitam. Pariter autem in iis Sophistas et dicentes et agentes cernimus: in primis Socratem, ubi interrogando doctissimorum disertissimorumque virorum placita refutat. Sed mimi ratio in *Phaedro* praesertim Platonis spectatur. *Unde et quo, Phaedre?* initium dialogi est: nescimus vero, ubinam Phaedro et qua opportunitate occurrat Socrates. Id non scriptor dialogi nobis significat, non enarrat ipse, quemadmodum ambo muris egressi ad Ilissum procedant: hîc altissimam illam platanum conspiciant, eoque progressi, locum tandem inveniant, ubi considentes suavissime, accinentibus cicadis, de amore colloquantur: horum omnium aliarumque item rerum bene multarum, quas legentes dialogum lubentissime solemus accipere, nihil no-

bis ipse describit auctor, sed ita colloquentes induxit Socratem et Phaedrum, ut haec e solis eorum sermonibus cognoscamus. Talis scilicet maxime mimi est natura.

Sed haec de primis Platonis dialogis, quique vulgo vel *Socratici* vel *amatorii* dicuntur, dicta sunto. In politicis ac moralibus, quos maturâ demum ad philosophandum aetate conscripsit, *dramatis* praesertim ratio cernitur. Habent illae tragoediae quodammodo cum initium, tum progressionem, tum exitum. In *Politia* procedentibus sermonibus sensim sensimque magis veluti nodus adstringitur, ut nesciamus, quem exitum habitura res sit. Vehementer primum in justitiam invehitur Thrasymachus: utilem esse contendit populorum rectoribus, populis vero noxiam: quam sententiam deinceps Glauco et Adimantus eo conantur diligentius probare, quo major sit Socrati naviter propugnandae justitiae cum opportunitas, tum necessitas. Haeremus ita dubii, quid nobis tandem de caussâ, omnium facile gravissimâ, existimandum sit. Tum vero postquam profligata plane jacere justitia visa est, intricatissimae quaestionis nodus, Socratis ope, solvitur paulatim, ut res nobis inclarescat identidem et victrix sit tandem justitiae caussa. Similis est progressio et exitus *Phaedonis:* in hoc autem dialogo, qui omnium dici maxime *drama philoso-*

phum potest, novus nobis identidem nodus occurrit, ut altero vix explicito alter longeque ad solvendum difficilior exsistat, tum vero simul habet, quod dici idem de *Politia* non potest, *mimi* formam. In *Politiae* enim exordio cernimus, fateor, et audimus senem illum Cephalum de senectute cum Socrate confabulantem; sed, ut discessit senex, totus deinceps dialogus sermonibus continetur. *Phaedonem* vero legentibus, praesens nobis ad finem usque Socrates est, primum in lecto recubans, tum erigens se, ut cum amicis colloquatur, tum, procedente colloquio, quo facilius rectiusque dicat, pedes humum demittens, tum etiam Phaedonis, qui ipsius lecto in humili sellula assidet, capillos illos perpulcros contrectans, tum vero tandem cicutam bibens. Verum quid persequar caetera? Ne tragicus quidem poëta in scena nobis exhibens Socratis mortem, interius nobis animum commoveat omnesque sensus et affectus, quam Plato fecit mimo hoc, imo dramate philosopho scribendo. Nec vero praetermittenda haec sunt.

In singulis illis Platonis dialogis, prorsus ut in tragoediis, princeps fere est, quam in primis attendamus, persona. Quo fit, ut parem in nos vim habeat Platonis atque optimi cujuscunque tragici lectio. Lecto Euripide, obversantur animo nostro Orestes, Pylades, Io, Hippolytus, juvenes

generosissimi in primisque amabiles. Idem nobis accidit lecto Platone. Pariter expressit ille et vero impressit animis nostris Phaedri, Charmidis, Theaeteti, aliorum, omniumque maxime ipsius Socratis imaginem. Tantum abest, ut Platonis dialogi vulgarium instar colloquiorum habendi sint. Tum etiam ex hac dramatum illorum conditione id explicandum, quod saepe est in dubium vocatum, verene sic habiti sermones sint, ut in Platonis dialogis exstant. Negarunt hoc multi, ipsâ adeo Platonis aetate; qua de re insignis locus est apud Athenaeum (*): *Λέγεται δὲ καὶ ὡς ὁ Γοργίας αὐτὸς, ἀναγνοὺς τὸν ὁμώνυμον αὐτοῦ διάλογον, πρὸς τοὺς συνήθεις ἔφη, Ὡς καλῶς οἶδε Πλάτων ἰαμβίζειν! — Ἄλλοι δέ φασιν, ὡς ἀναγνοὺς ὁ Γοργίας τὸν Πλάτωνος διάλογον, πρὸς τοὺς παρόντας εἶπεν, ὅτι οὐδὲν τούτων, οὔτε εἶπεν, οὔτε ἤκουσε παρὰ Πλάτωνος. Ταὐτά φασι καὶ Φαίδωνα, ἀναγνόντα τὸν περὶ Ψυχῆς.* Pariter Lysis dixisse fertur: *Ἡράκλεις, ὡς πολλά μου κατεψεύδεθ' ὁ νεανίσκος* (†)! Nec vero mirum. Nam Plato, ut mimographus ac dialogorum scriptor, non minus hac in re, quam optimus quisque comicus aut tragicus, verum spectavit. Effecit autem fingendis sermonibus, ut magis etiam veriusque personarum, quas induxit, indoles, ingenium, mores, co-

---

(*) *Deipnos.* XI. 15. (†) Diog. Laert. III. 35.

gitandi dicendique ratio exprimeretur. Sane, nisi finxisset in scribendo *Phaedone* multa, legentibus nobis dialogum non talis tamque vere expressa Socratis imago appareret.

Est novum hoc plane scribendi genus, a philosophis ante Platonem usurpatum nunquam, cujus adeo inventor auctorque haberi Plato debet. Nam praecesserunt eum, uti in caeteris ferme omnibus, poëtae, Epicharmus, Attici comici ac tragici, tum vero Sophron: sermones item ipsius aetate Socraticos Socratici prodiderunt. Sed qui mimos philosophos, philosopha dramata scriberet, iisdemque omnem traderet et Socratis et vero suam philosophiam, primus profecto Plato fuit (*).

(*) Vid. de forma *Dial. Plat.* Wyttenb. *Epistola in Opusc.* Vol. II. Cff. *Init. Philos. Plat.* Vol. I. p. 167. Vol. II. P. I. p. 130 et P. II. 211. Caeterum, quod *Phaedrum* in his contendi a Platone juvene scriptum esse, doleo, dissentire me ab excellente aetatis nostrae interprete Platonis, Stallbaumio. Vid. Praef. viri ad *Phaedrum*. Sed suum cuique judicium relinquendum est: ego in *Initiis*, tum in his ipsis disquisitionibus ea subinde indicavi, quibus probari antiquorum sententia videretur.

JUDICIUM

DE ORATIONE ET SCRIBENDI GENERE PLATONIS.

Dux nobis sit in judicanda Platonis oratione Aristoteles, acutissimus ille idemque severissimus poëtarum ac scriptorum censor. Dixit, ut est apud Diogenem Laertium, mediam illam esse inter poëma et pedestrem orationem (*). Quae communis deinceps fuit antiquitatis sententia: quamquam a plerisque in bonam fere, quin etiam in optimam partem accepta. Panaetius Platonem *Homerum* vocavit *philosophorum* (†). Sic autem de eo Quintilianus: *philosophorum, ex quibus plurimum se traxisse eloquentiae M. Tullius confitetur, quis dubitet Platonem esse praecipuum, sive acumine disserendi sive eloquendi facultate quadam divina et Homerica? multum enim supra prosam orationem et quam pedestrem Graeci vocant, surgit: ut mihi non hominis ingenio, sed quodam videatur oraculo Delphico instinctus* (§). Id autem Platonem habuisse cum Democrito commune, refert Cicero. *Itaque video, visum esse nonnullis, Platonis ac*

(*) Diog. Laert. III. 25. *Φησὶ δ' Αριςοτέλης τὴν τῶν λόγων ἰδέαν αὐτοῦ μετάξυ ποιήματος εἶναι καὶ πεζοῦ λόγου.*

(†) Cic. *Tusc.* I. 32. (§) Quint. *Inst. Or.* X. 1.

Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen quod incitatius feratur et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poëma putandum quam comicorum poëtarum: apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis (*). Sed et Cicero et alii multi tanto ducti Platonis amore sunt, ut vix quidquam in eo reprehendendum putarent. Dictus ille a Cicerone est: *non intelligendi solum sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister: longe omnium in dicendo gravissimus et eloquentissimus:* imo vero *philosophorum Deus* (†). Platonem Cicero, ut ipse fatetur, et admirabatur unum omnium maxime, et omnibus anteponebat et diligebat (§). Nobis autem non minus orationis quam philosophiae Platonicae characterem exprimere conantibus, hoc cavendum potissimum est, ne coecos nos reddat ad judicandum Platonis amor. Audire oportet in alteram etiam partem. Nam in ipsis Veteribus fuerunt, qui multa haberent, quae in Platonis oratione carperent; in his omnium praecipue Dionysius Halicarnassensis, acerrimi judicii scriptor. Comparat is cum Platone Demosthenem. Duae enim exstant in Platonis scriptis orationes, *Socratis Apologia* et funebris

(*) *Orat.* 20. (†) Cic. *Orat.* c. 3. *de Orat.* I. 11. et passim.
(§) Cic. *de Legib.* I. 5.

in *Menexeno* oratio, utraque, ut videtur, civilis eloquentiae monumentum. Desiderat autem in hisce Dionysius oratorum Atticorum maximeque Demosthenis copiam, gravitatem, *δεινότητα*. Sed pariter idem, ad oratorum et historicorum dicendi scribendique rationem, orationem Platonis exigens, in genere *tenui* excellere Platonem statuit, in *sublimi* vero puerilem dicit. Quod ut probet, *Phaedri* censuram agit. In hoc libello, ait, *πολλὴν μὲν ὥραν ἔχει, καὶ χαρίτων ἐςὶ μεςὰ τὰ πρῶτα ταυτί· ὦ φίλε Φαῖδρε, ποῖ δὴ καὶ πόθεν;* quae vero deinceps occurrunt, ut illa: *ἄγετε δὴ, ὦ Μοῦσαι* — tum magis etiam in loci *ὑπερουρανίου* descriptione: *ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς* — haec igitur sunt *ψόφοι*, ait, *καὶ διθύραμβοι, κόμπον ὀνομάτων πολὺν, νοῦν δ' ὀλίγον ἔχοντες* (*). » Equidem, fatetur Dionysius, *δεινότητα τοῦ ἀνδρὸς* in dialogis, praesertim in quibus Socraticae orationis characterem exprimit, quemadmodum in *Phaedro* (†) multum demiror et adhuc semper demiratus sum: ineptias vero ejus et nugas, quae in fucatis et arcessitis ornamentis exstant, nunquam amavi: omnium vero minime, ubi, forensi assumto argumento, laudes et vituperia, accusationes et defensiones scribere

(*) Dionys. *de vi dicendi Demosth.* c. 7. (†) Vulgo *ἐν τῷ Φιλήβῳ*: sed legendum sine dubio *ἐν τῷ Φαίδρῳ*.

aggreditur: tum enim prorsus sui dissimilis est et philosophorum dignitatem obscurat. Mihi saepe de hujus orationibus in mentem venit dicere, quod apud Homerum Jupiter ad Venerem:

Οὔ τοι, τέκνον ἐμὸν, δέδοται πολεμήϊα ἔργα·
Ἀλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο (*)."

Sic Dionysius. Similiter veterum recentiorumque multi, qui elegantiam nativamque pulcritudinem admirarentur dialogorum Platonicorum, sed in iisdem vim et gravitatem desiderarent, flosculis illum poëticis orationem ornasse dicentes. In hac autem sententiarum diversitate, quid nos tandem de nobilissima caussâ judicabimus?

Nempe, quod primum est tenendum, mimorum dramatumque philosophorum scriptor Plato fuit, non orationum. Quodsi in scriptis dicentem publice induxit Socratem, illuc ejus spectabat consilium, ut, quemadmodum philosophia vim habere in eloquentiam deberet, demonstraret, non, ut cum oratoribus de eloquentiae palma aemularetur. Et sane, ut supra significavimus, refert plane Demosthenis in Philippicis oratio propriam Socraticae philosophiae παῤῥησίαν, ut non frustra id molitus sit Plato. Quapropter non satis apte et durius Dionysius pronunciasse de

(*) Id. eod. 23. Cf. *Ep. ad Pomp.* c. 2.

Apologia et *Menexeno* Platonis videtur. Tum vero, quod poëticam illam scribendi rationem attinet, reputandum continuo est, Platonem, ut ab initio monuimus, a puero sic operam navasse poësi, ut destinatus naturâ huic arti videretur. Quamvis igitur, ut patuit postea, non poëta, sed philosophus natus esset, tamen non potuit non ejus oratio, in libris scribendis, *multum*, ut ait Quintilianus, *supra prosam orationem surgere*. Abest vero multum, ut talis sit scriptor Plato, qualis a multis recentiore aetate dictus habitusque est. Non flosculis se studet ejus oratio ornare, non affectat poësin, non tumida est et inanis: *dramatica* est; sed ita facile exsurgit ad tragicorum aliorumque item poëtarum, ipsius adeo Pindari sublimitatem. Itaque recte dici eloquendi facultas Platonis, ut dicta ab eodem Quintiliano est, *divina quaedam et Homerica* potest.

Monenda continuo haec erant, ne iniqui essemus de Platonis scribendi genere judices. Commisit illud Dionysius *veteri oratorum*, ut ait Wyttenbachius, *erga philosophos odio ductus*, *in primis erga Platonem*, *cujus et alibi et maxime in Gorgia judicium de civili eloquentia*, *omnibus deinceps et oratoribus et rhetoribus sedit alta mente repostum* (*). Nos ne

---

(*) V. Wyttenb. *Epist.* in Opusc. Vol. II.

simile committamus vitium, illud Platoni tribuamus, quod concessit ei omnis antiquitas, praestantissimum eum fuisse rhetoricae doctorem. Nemo unquam rectius rhetorum ineptias perstrinxit, quam Plato in *Phaedro* fecit, qui dialogus proprie dicendi scribendique artem spectat. Et vero idem, ut dramaticus scriptor, in *Symposio* Agathonem poëtam sic dicentem de amore fecit, ut legentes nos dialogum, poëticae istius orationis flores artesque pueriles rideamus. Statuere ergo licet, vidisse Platonem recte, quemadmodum dicendum scribendumque et a quibus praecipue vitiis abstinendum esset. Nec tamen, etiamsi sic statuamus, negamus, optimum illum rhetoricae magistrum vitia subinde, ut fit, commisisse ipsum, quae in aliis reprehenderet. In his autem, ni fallimur, praecipuum quoddam habendum est *poëticae* illud *sublimitatis studium.* Non licet scriptori, quamvis dramatico, multum supra prosam orationem surgere. Ut poësi, ita prosae suus sermo est, nec minus scriptorem dedecet, ad poëticam escendere orationem, quam poëtam, ad pedestrem descendere. Plato autem saepenumero cum in *Phaedro*, tum in aliis item dialogis, praesertim vero in *Phaedro*, quum juvenili agitaretur ardore, attingere nitens Sapphus, in primisque Parmenidis similiumque philosophorum, qui iidem poëtae fuerant, sublimitatem, nec as-

secutus eam est et suam orationem alieno colore corrupit magis, quam ornavit. Hoc illud scilicet est, quod vetus ille criticus acerrimus, Aristoteles, tanquam vitium notavit, *medium sequi inter poëma et pedestrem orationem dicendi genus.*

Sed quocunque tandem modo de oratione ac scribendi formâ Platonis judicemus, constat inter omnes, eximiis se illam dotibus commendare, cum aliis, tum gratiâ, nativâ venustate, elegantiâ, ubertate, persuadendi vi atque efficacitate, ut esset, cur Veteres dicerent, *Iovem, si Graece loqueretur, sic loqui.* Nobis autem vel hinc rem considerantibus, patet dilucide, quid caussae fuerit, ut una cum oratione philosophia etiam Platonis in saeculorum decursu nullo non tempore summis sit laudibus celebrata. A forma videlicet mirifice commendationem habet; forma autem ejusmodi est, ut non solum disceptandi subtilitate, dicendi copia et suavitate, sed summa etiam orationis sublimitate, poëticâ illâ et ferme divinâ insignis sit.

PLATO

PHILOSOPHUS.

Venimus ad disquisitionem magnam et praeclaram, qualis fuerit philosophus Plato. Ingredientibus autem nobis argumentum hocce, gravissimae objiciuntur difficultates. Nam modo Socraticus ille est in scriptis suis, modo Eleaticus, modo Pythagoreus. Ergone conjunxit Plato diversissimas illas doctrinas? Atqui posterioris demum aetatis syncretismus fuit, quo commixta obscurataque sunt omnia; Plato vero simplicitate se et ingenii judiciique lumine commendat. Sed alia est insuper, quae ad Platonicae philosophiae rationem et methodum pertinet, longe major etiam et difficilior quaestio. Haud cadebat in poëticum, quale Platonis erat, ingenium, condere, quod nos vocamus, philosophiae *systema*. Abhorrebat item ab hac philosophandi ratione dialogorum scriptio, qua quis agentes dicentesque alios omnes inducit, sese vero abscondit. Haec non magnopere ratio philosophi est, qui suum nobis tradere et probare systema studet. Raro fuit haec modestia systematum conditoribus propria. Quid igitur? nullone ordine procedit vagaturque philosophia Platonis? Siccine philosophatus est, ut philosophari ante eum poë-

tae consuerant, qui carminibus celebrabant placita sua? Sic ille dialogis conscribendis modo hunc, modo alium philosophiae locum, ut genius ferebat, illustravit? Atqui ne hoc item cadere in philosophum potuit, qui summo erat dialecticae studio, atque iter in philosophando sine dialectica, *coeci* appellare *iter* solebat. Nos, ut has aliquando difficultates caeterasque, quae vulgo objici solent, superemus, rem ab ipso initiò repetamus. Quaeramus primum de disciplina Platonis, qua informatus ad philosophiam est; tum vitam ejus et res gestas consideremus; denique, quod caput rei est, quam ipse sit secutus philosophandi rationem, quamque esse existimaverit veram philosophiam, indagemus.

A scenica Platonem poësi Socrates ad philosophiam traduxit: tanto autem hic adolescentem, tamque vehementi philosophiae studio et amore imbuit, ut, quod veteres memoriae prodiderunt, Vulcano non dubitaret carmina sua sacrificare. Quodsi quaerimus, quid illud fuerit, quod tantopere is in Socrate ejusque disciplina cum admiraretur, tum etiam diligeret, patet id facile e scriptis viri. Nam talem maxime Socratem in mimis illis exprimere studuit, qualis sibimet ille placuerat maxime. In *Protagora*, in *Charmide*, in *Phaedro*, in caeteris dialogis, quos primum videtur scripsisse, Socrates nobis occurrit cum

sophistis, sed praecipue cum generosissimae indolis adolescentibus disserens. Quaestiones agitantur, quae maxime cum hominis cognitione, cum divino praecepto γνῶθι σεαυτόν sunt conjunctae: num virtus doceri possit, quid temperantia sit et honestas, quae artium elegantiorum habenda sit humaniorumque literarum vera ratio, quis verus sit, uniceque homini salutaris amor. Nos, ubi legimus hos dialogos, admiramur in Socrate et amamus plane cum morum elegantiam, tum pulcri honestique sensum, tum boni, quo ducebatur maxime, amorem, tum etiam et ironiam illam ipsi propriam et disputandi rationem singularem prorsus: haec nos in his dialogis admiramur et amamus, ipse vero dialogorum auctor, qui expressit in illis haec omnia, nonne hic magis etiam ac summopere et admiratus illa in Socrate esse et amasse putandus est? Dicam facile equidem, tradidisse in mimis illis et dramatibus Platonem, imo repraesentasse legentibus ipsam, quam Socrati debebat, disciplinae institutionisque rationem. Apparet illa in *Phaedro* tota. Legenti sane dialogum illum, ipsum mihi videor Platonem, cum adolescens esset, videre, pariter ac Phaedrus illic, ὁ φιλόκαλος καὶ φιλόμουσος, nobis apparet, cum Socrate suo ad Ilissum, sub platano illa, patulis diffusa ramis, accinentibus cicadis, de divino amore, de musica et poësi, de dicendi

scribendique arte, de sophistis et rhetoribus confabulantem jucundissime. Tali is igitur usus in ipsa adolescentia doctore, quid miremur, si philosophiae ardore inflammatus divinae cujusdam sit, quae ab hominis cognitione profecta, ad artium omnium laudatarum studia et res divinas tenderet? Sed cognoscere pariter e scriptis Platonis totum ipsius studiorum cursum licet.

Succedunt Socraticis his et eroticis dialogis dialectici sermones, cum trilogia, *Theaetetus*, *Sophista* et *Politicus*, tum *Philebus* et *Parmenides*. Diversi illi sunt, praesertim postremi hi, a Socraticis: diversi etiam a caeteris omnibus, quos deinceps scripsit, quales sunt *Gorgias*, *Politia*, *Phaedo*, *Symposium*, *Timaeus*, *Leges*. Agitur in trilogia de dialectica, cujus jam mentio facta in *Phaedro* fuerat, sed in his datâ operâ ars discernendi jungendique traditur. Neque habet etiam Socrates in *Sophista* et *Politico* partes maximas. Eleatès inducitur hospes, artis hujus peritissimus, qui artem hanc ipsam, discernendis a caeteris hominum generibus sophista et politico, Socrati aliisque probat. Cernimus hos legentes dialogos, discedere a Socrate Platonem, certe Socrati adjungit alios doctores, Eleaticos, qui dialectica videbantur excellere. Et sane in *Philebo* et *Parmenide* philosophandi exstat ratio longe longeque ab illa Socratis simplicitate et humanitate remota:

est, quam nos vocamus, *speculativa* plane, principia ponens, quae dicuntur *a priori*, indeque res gravissimas explicans, agens praesertim de eo, *quod est* et *non est*. In *Philebo* agnoscimus adeo *naturae philosophiam*, quae celebrata hoc nostro aevo est. Veruntamen dialogis his omnibus *Theaetetus* praemittitur, qui tam *Socraticus* sermo, quam *dialecticus* dici haberique potest. Nam Socratis continet cum μαιευτικὴν, tum ἐπαγωγὴν, tum omnem inquirendi, disputandi, docendi rationem; ut videamus plane, quemadmodum Plato a Socratica dialectica orsus, ad sublimia illa ac captum fere nostrum superantia contenderit.

Nec tamen, his consideratis, existimemus, Platonem, abreptum ita ingenii vi, repudiasse tandem Socraticam philosophiam. *Quae puerum adspexerat Musa*, quod ait poëta, *eadem nec senem reliquit;* immo vero, ante senectutem, ipsâ ingenii maturitate, ad eam rediit philosophus: rediit autem ita, ut nunc demum plane dici *Socraticus philosophus* posset. Prouti in *Phaedro* Socratem repraesentaverat lectoribus, ut doctorem suavissimum, quique meliorem dicendi artem, quam sophistae crepabant, tenebat, quippe quae cum verissima dialectica, cum cernendi jungendique arte esset conjuncta, ita nunc in dialogis, quos deinceps scripsit, in *Gorgia*, in *Politia*, in *Phaedone*, in *Symposio* ipsam Socratis

moralem philosophiam, quae ad justitiam et virtutem duceret, tradidit: in *Symposio* autem de amore, principe illo in Socratis doctrinâ loco, sic datâ operâ egit, ut intimos quosque humani animi sensus indagaret, ex iisque omnem duceret philosophiam, ipsam inde duceret et declararet idearum doctrinam (*).

Haec tenenda in primis de Platonis disciplina et institutione videntur, ut, qualis ille philosophus fuerit, perspiciamus. Haud desiit esse Socraticus, etiamsi se totum aliquando vigente aetate Eleaticorum philosophiae daret. In mediis his disquisitionibus spectavit, quod unice spectare Socrates solebat, quid *pulcrum*, quid *justum*, quid in primis *bonum* esset; nam hae *ideae* sunt, de quibus in *Parmenide* subtiliter quaerit. Quumque deinceps in animum induceret *Timaeum* scribere, sic dicentem fecit Pythagoreorum hunc omnium disertissimum et sapientissimum de Deo, de mundo atque de hominis naturâ, ut Deum fingeret ad *boni ideam* rudem materiam ad hanc, quae adest, speciem et pulcritudinem informantem. Intelligimus hinc satis, non confudisse Platonem diversas variorum philosophorum doctrinas; sed habuisse, quod sequeretur constanter, certum studiorum iter. Verum quo

---

(*) *Symp.* p. 210—212.

pateat magis, non solum eum doctrinâ, sed agendi etiam ratione Socraticum fuisse philosophum, vitam ejus privatam et res gestas consideremus.

Detrectavit rempublicam Plato. Incidebat scilicet aetas ejus in medias belli Peloponnesiaci calamitates, e quibus ipse, ut rebatur, cives suos expedire non poterat. Nec tamen rebus Graecorum gravissimis consulere noluit. Invitatus a Dione, discipulorum generosissimo, in Siciliam est profectus, ut Dionysios, Syracusarum tyrannos, primum patrem, tum filium, philosophiae praeceptis imbueret, eosdemque et dignos redderet, qui populis praeessent, et aptos, qui populorum consulerent felicitati; id tenens praecipue, malorum in civitatibus nunquam finem futurum, priusquam vel philosophi eas regerent, vel ipsarum rectores philosophi essent. Frustra in eo Plato fuit; sed efficimus inde, non solum theoreticam, sed etiam practicam ejus vitam fuisse, non delituisse eum in Academiae hortis, sed in luce hominum vixisse, et hoc quidem proposito, quo magis, quod plane erat Socraticum, meliores redderet homines, illos praesertim, qui vim maximam exercere in cives suos possent. Incertae auctoritatis sunt, quae sub nomine Platonis feruntur, epistolae: veruntamen exposuit earum auctor, quicunque fuit, philosophi consilia, ut ex ipsis viri scriptis, maxime e sexto Politiae libro, patet.

In his illa attendamus, ubi, enarratis, quae molitus pro re publica fuerat, consiliis, tandem haec addit. »Itaque ego ille, qui prius exarseram incredibili cupiditate me ad rem publicam convertendi, videns, cuncta in praeceps verti, tandem quasi mentis vertigine laborans, quo me verterem nesciebam. Et primum quidem a rerum consideratione non abstinui, num forte meliora in caussis publicis evenirent; agendi autem opportunitatem exspectavi. Tandem vero compertum habui, res publicas omnes, quae nunc sunt, male gubernari: nam leges in iis ferme insanabiles esse, nullo instituto recto constitutas, sed forte et casu fluctuantes." *Λέγειν τε ἠναγκάσθην, ἐπαινῶν τὴν ὀρθὴν φιλοσοφίαν, ὡς ἐκ ταύτης ἐςὶ τά τε πολιτικὰ δίκαια καὶ τὰ τῶν ἰδιωτῶν πάντα κατιδεῖν· κακῶν οὖν οὐ λήξειν τὰ ἀνθρώπινα γένη, πρὶν ἂν ἢ τὸ τῶν φιλοσοφούντων ὀρθῶς γε καὶ ἀληθῶς γένος εἰς ἀρχὰς ἔλθῃ τὰς πολιτικὰς, ἢ τὸ τῶν δυναςευόντων ἐν ταῖς πόλεσιν ἔκ τινος μοίρας θείας ὄντως φιλοσοφήσῃ. Ταύτην δὴ τὴν διάνοιαν ἔχων εἰς Ἰταλίαν τε καὶ Σικέλιαν ἦλθον* (*).

Prodesse in hunc modum Plato studuit gravissimis Syracusarum caussis, cum de suae civitatis rebus desperaret fere. Qua in re nobis patet, non doctrina solum Platonem, sed et agendo, sed

(*) *Epist.* VII. 325 E. — 326 B.

vita etiam et moribus rebusque gestis Socraticum fuisse philosophum. Et haec quidem sufficient nobis, ne illorum moveamur dictis, qui eum modo Socratis unice, modo Eleaticorum, modo Pythagoreorum placita probasse ferunt. Sic ille Socraticus fuit, ut tamen non aliorum rejiceret philosophiam: horum vero lumen et diligentiam Socraticae philosophiae adhiberet. Ad alteram nunc accedamus quaestionem, difficiliorem illam sane, quemadmodum philosophatus Plato sit.

Non condere Plato philosophiae systema voluit. Susceperunt id negotii philosophi, qui deinde vixerunt, postquam doctrinarum conficiendarum artem Aristoteles docuerat. Tum ipsi Academici, auctore Xenocrate, ipsam Platonis philosophiam non solum in doctrinae formulam redegerunt, sed in partes etiam dissecuerunt, e quibus singulis singulas doctrinas conficerent: quo factum, ut ad hodiernum usque diem uberrima illa latissimeque patens philosophia, quam scribendo Plato expressit, tribus constare doctrinis, Physica, Dialectica, Ethica videatur. Platonis ingenium prorsus erat ab hoc negotio alienum; nec tamen temere ille aut poëtarum more in philosophando vagatus est. Philosophiam tractavit Socratis sui et Pythagorae instar, ut παιδείαν, ut verissimam hominis institutionem, quae non partibus contineretur, non constaret duabus tribusve doctrinis, apte secum

invicem junctis, sed quae simplex ipsa, uno eodemque tenore procedens, omnibus artibus ac disciplinis vim inderet ad recte excolendum hominem suscitandumque in eo ac moderandum, quidquid haberet divinum. Quam quum unice existimaret veram esse et *divinam*, ut vocabat, philosophiam, novam ipse musices, novam poëseos, novam rhetoricae, novam arithmeticae, geometriae, astronomiae, novam in primis dialecticae rationem induxit. Idemque porro et moralem philosophiam, a Socrate conditam, confirmavit ac stabilivit et conditor dici politicae philosophiae potest, auctor adeo fuit novae philosophiae: philosophiam certe, quam veluti vaticinatus Socrates fuerat, cum in lucem produxit, tum constituit, elaboravit, perfecit. Sed haec omnia operae pretium est singulatim et quam diligentissime exponere. Ordiamur ab artium ac disciplinarum instauratione.

PLATO

ARTIUM AC DISCIPLINARUM INSTAURATOR.

Ut musicam igitur et poësin spectemus primum, duplicem distinguebat Plato in animo hominis amorem, coelestem et vulgarem. Utrumque in *Phaedro* poëtica ratione adumbravit, in

Symposio vero accuratissime descripsit, ut *musam*, quam mente spectabat, *coelestem* exprimeret. Polymniam, ait, musici nostri et poëtae colunt, auribus nostris ac sensibus gratificantes, ut sonorum harmoniâ, fabularum suavitate ac varietate dilectemur. Vana haec omnia ac juventuti adeo noxia, quum non, quid pulcrum reapse sit et bonum, sed quid placeat, quaeratur. Aliam nos musicam, aliam poësin expetimus, illam, quae vim in animum nostrum habeat, ut quicunque nobis insunt appetitus affectusque perversi, corrigantur apte et temperentur, animus adeo ipse ad verissimam harmoniam componatur, ut virtutis flagremus amore. Musa colenda nobis est *Urania*, Veneri Uraniae, coelestique amori, qui inest nobis, consentanea. Hanc ut amare pueri apud nos coeperint, ita ipsi hac aetate optimâ ratione et musicam et poësin et artes omnes liberaliores tractabunt; et vero adulti alios totamque adeo civitatem justitiae, temperantiae, virtutum omnium amore imbuent: quo nil accidere civitatibus melius exoptatiusque potest. Vox haec sane philosophi est, qui instaurare artes studet, ut reapse *excolere* homines possint. Sed audiamus eundem Platonem, ubi de rhetorica aetatis suae agit. Fiunt apud nos τριβῇ, ait, non τεχνῇ, oratores et scriptores: dialecticam negligunt, qua unice quis ad veritatem cum ipse pervenire, tum

alios adducere potest. Quo fit, ut speciem amplectantur, rem ignorent, speciem vero sic auditoribus ac lectoribus proponant, ut maxime videatur eorum studiis, malis etiam et perversis, congrua. Plato igitur vulgari rhetoricae isti et abjectae, artem opposuit dicendi scribendique sublimiorem quandam, quae unice ad veritatem tenderet. Dicendum scribendumque statuebat ad excitandum in hominibus veri bonique amorem; scribendum adeo censebat non literis in libris, sed sermonibus in ipsis animis hominum: quod Plato sane ipse, quoad ejus fieri poterat, dialogis scribendis factitavit. Quumque rhetores vulgo praecepta dicendi scribendique traderent, quae cum arte essent conjuncta, artem vero negligerent; ipse artem divinam ex hominis animo deduxit atque ad verissimam hominis civitatisque salutem provehendam excoluit. Sed, ut artium elegantiorum ac rhetoricae, ita disciplinarum etiam subtiliorum novam induxit rationem. Similiter de perverso cum arithmeticae, tum geometriae, tum harmoniae atque astronomiae studio pronunciat. Disciplinas has tractant vulgo, ait, tanquam numerandi, metiendi, temporis computandi artes: nescii, alia omnia longeque majora spectanda illis esse, qui eas ad verissimam summamque hominum utilitatem tradere cupiunt. Efficiunt scilicet, si recte traduntur, ut

quae apud nos deorsum spectant, sursum erigantur, ac mens nostra ad verum cernendum acuatur. Τοῦ γὰρ ἀεὶ ὄντος ἡ γεωμετρικὴ γνῶσίς ἐςι (*). »Illud, ait, non ita vile est, sed ad percipiendum credendumque difficile, singulis disciplinis hisce organum mentis quoddam purgari excitarique et reviviscere, quod aliis fere studiis perit atque occoecatur, cum id servari sexcentis oculis praestet: solo enim hocce *veritas* cernitur (†).”

Ita Plato de his disciplinis illo in opere judicat, quod de optima civitate scripsit. Nam necessarias eas censebat, quarum studio a tenera inde aetate illorum exercerentur ingenia, qui praefuturi aliquando rei publicae essent. Eodem proposito in eodem opere de novâ in primis dialecticae tractandae tradendaeque ratione agit. Indicaverat eam in *Phaedro:* in *Sophista* et *Politico*, Eleaticorum adhibitâ ἀκριβείᾳ, explicuerat fusius exemplisque illustraverat; nunc vero, in *Politia* scribenda, adhibebat eandem summis civitatum commodis. Eristicae apud nos student, ait, adolescentes, non dialecticae. Catulorum instar, disputandi flagrantes cupidine, in quodvis argumentum involant, idque, sive verum, sive falsum, dilacerant; haud parcentes viris adeo, qui

---

(*) *De Rep.* VII. 527. B. (†) Eod. 527. D. E.

verum assequi unice nituntur. Atqui si verum exquirere negligunt, quomodo, quid *vere* sit bonum, quid *vere* sit justum, quin etiam, quid *vere* prosit civitati, assequentur? Itaque, ut maximi id momenti ducebat philosophus, ita studiosissime novam induxit in perfecta civitate eandemque verissimam dialecticam. Est illa cum Socratica μαιευτικῇ et ἐπαγωγῇ conjuncta, verum non solum ad docendum, sed ad inveniendum etiam valet. Ars est celebratissima illa cernendi ac jungendi, omnis philosophiae, quae ad verum bonumque tendit, instrumentum necessarium (*).

Sic renovare Plato et instaurare artes omnes et disciplinas aggressus est, quo magis philosophia, ut Socrati atque ante Socratem Pythagorae placuerat, *παιδεία*, *institutio* esset hominum, quo homo a puero per artes ac disciplinas ad sapientiam, ac primum omnium ad *veritatem* assequendam excoleretur et perduceretur. Unde intelligimus, qui factum sit, ut schola Platonis per seculorum decursum artium venustiorum ac literarum studio floruerit maxime, ipsa autem viri philosophia habita fere *veritatis philosophia* sit. Quod autem diximus, Platonem, ut fuit libera-

---

(*) Diligentius de his omnibus egi: *Init. Phil. Plat.* V. II. P. II. p. 43—157. Loca Platonis primaria sunt *Phaedr.* 266 B. — 276 E. *De Rep.* L. VII.

liorum artium omnium et disciplinarum gravissimarum instaurator, ita moralis quoque philosophiae statorem et politicae conditorem fuisse, id nunc porro persequamur.

PLATO

PHILOSOPHIAE MORALIS STATOR.

Condidit, ut vidimus, Socrates moralem philosophiam; sed Plato demum, eadem illa usus cernendi jungendique arte, cujus ipse adeo incredibili, ut fatetur, amore captus erat (*), in luce eam posuit ejusdemque et vindex et stator fuit. Duxit hanc omnem ab *amore*, hominis animo naturâ indito, retulit autem ad ideas, quae sunt aeternae illae veritatis formae, *pulcrum*, *bonum*, *justum*, *sanctum*, *divinum*.

Praeclara philosophandi ratio, digna in primis germano cum Socratis, tum Eleaticorum, tum etiam Pythagoreorum discipulo. Quam ut recte assequamur, iterum hic nobis excitanda est philosophi de utroque amore sententia, ut prodita in *Symposio* exstat. Nam postquam Phaedrus illic universe amorem laudaverat, Pausanias rem cernendo distinguendoque illustrat. Si una esset Venus,

(*) *Phaed.* 266 B.

ait, unus item celebrandus amor videretur: nunc, cum duae sint Veneres, urania ac vulgaris, vulgaris amor repudiandus est nobis, solus uranius summis laudibus celebrandus." Tum ipse, subtiliter distinctâ utriusque amoris naturâ, cum enumerat bona, quae coelesti amori hominum vita debet, tum Phaedro assentitur facile, qui amorem dixerat virtutis auctorem hominibus esse, hominesque adeo ἐνθέους ad virtutem efficere, ut, si exercitus esset, qui amatoribus et amasiis constaret, pauci hi innumeros hostes profligarent, quippe ad praeclarissima tendentes omnia τῇ ἐπὶ τοῖς καλοῖς φιλοτιμίᾳ, tum vero etiam τῇ ἐπὶ τοῖς αἰσχροῖς αἰσχύνῃ ducti. Distincte autem in eodem dialogo ex intimo hominis animo amorem repetens, ἐνδείαν, *indigentiam* eum esse *moralem* docet, quo fiat, ut desideremus, quae sunt pulcra, honesta, divina, eorumque studio atque ardore incendamur: docet, amorem, ut optimarum rerum appetentem, medium inter Deos et homines esse, horum preces ad Deos, illorum jussa ad homines transferentem: docet, tendere amorem ad immortalitatem: nam explere hominem in hac vita desideria sua non posse: unde immortalem optimos quosque gloriam petere: docet denique, ad ipsum pulcrum, ad ipsum et bonum et justum et sanctum et divinum amorem nos ducere. Nam homini, in hoc optimarum rerum desiderio, res mu-

tabiles non sufficere: quaerere eum propterea, quod constans sit et aeternum. Quibus expositis, divina mulier, haec demum, ait, o Socrates, si qua alia, verissima homini vita est (*).

Est haec pulcri, itemque boni justique et divini philosophia, quam Plato ut sublimi oratione in venustissimis gravissimisque scriptis explicuit, ita datâ operâ a sophistarum cavillationibus vindicavit; quapropter ipsius vindex et stator vero nomine dicendus videtur. In dialogo, qui *Gorgias* inscribitur, Socratem ab ipso Gorgia aliisque irrisum inducit, quippe qui, accusatus coram judicibus, expedire se ex hisce molestiis ac periculis arte dicendi non posset: quae ut audivit Socrates, haec eum dicentem facit. Ego vero tibi, ait, ignaviam exprobro, si quidem tibimet ipse non esse praesto potueris, quum post hanc vitam nostram judicium instabit et dijudicatio; sed veniens tu ad judicem, Aeginae filium, postquam ille te in jus rapuerit, oscitabis ac laborabis vertigine, non minus quam ego hic, tu illic: fortasseque quis tibi ad summum dedecus alapam infliget omnique contumelia afficiet. Quamobrem considero equidem, *ὅπως ἀποφανοῦμαι τῷ κριτῇ ὡς ὑγιεστάτην ἔχων τὴν ψυχήν. Χαίρειν οὖν ἐάσας τὰς τιμὰς τὰς τῶν πολλῶν ἀνθρώπων, τὴν ἀλήθειαν σκοπῶν, πει-*

(*) *Symp.* 211 D. E.

ῥάσομαι τῷ ὄντι ὡς ἂν δύνωμαι βέλτιςος ὢν, καὶ ζῆν, καὶ ἐπειδὰν ἀποθνήσκω, ἀποθνήσκειν· παρακαλῶ δὲ καὶ τοὺς ἄλλους πάντας ἀνθρώπους, καθόσον δύναμαι, καὶ δὴ καί σε ἀντιπαρακαλῶ ἐπὶ τοῦτον τὸν βίον καὶ τὸν ἀγῶνα τοῦτον, ὃν ἐγώ Φημι ἀντὶ πάντων τῶν ἐνθάδε ἀγώνων εἶναι (*).

Similiter apud Platonem Socrates, nec minore δεινότητι, quum in ipso Atheniensium tribunali versaretur ac pro semet ipse diceret, veritatis ac justitiae caussam agit. »Quo quisque, ait, in loco vel semet ipsum constituit, arbitratus id optimum esse, vel a superiore jubetur consistere: in eo, ut mihi videtur, permanere eum oportet periculumque subire, nec mortem, nec aliud quidquam magis, quam quod turpe est, reformidantem. Quamobrem, ἐγὼ, inquit, ὑμᾶς μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀσπάζομαι καὶ Φιλῶ, πείσομαι δὲ μᾶλλον τῷ θεῷ ἢ ὑμῖν, καὶ ἕως μὲν ἐμπνέω καὶ οἷός τε ὦ, οὐ μὴ παύσομαι Φιλοσοφῶν καὶ ὑμῖν παρακελευόμενός τε καὶ ἐνδεικνύμενος, ὅτῳ ἂν ἀεὶ ἐντυγχάνω ὑμῶν, λέγων οἷά περ εἴωθα (†).

Sed scripsit adeo Plato pro justitia opus: estque illud in ejus scriptis longe praestantissimum et amplissimum, quippe quo omnem, quam profitebatur, philosophiam explicuit, *Politiam* dico. Optimam in eo itemque pessimam effinxit civita-

(*) *Gorg.* 526 D. E. (†) *Apol. Socr.* 29 D.

tem, quo clarius, quid justitia esset, quid injustitia, pateret. Sed illud in hisce fingendis spectavit potissimum, ut felicem esse probaret justum hominem, etiamsi pessime ab injustis hominibus haberetur, et videretur adeo injustus: contra injustum hominem, quamvis laudaretur ab omnibus et justus videretur adeo, infelicem esse. Qui sic philosophando scribendoque virtutis atque justitiae patrocinium suscepit, nae is dici vero nomine *philosophiae moralis stator* et potest et debet.

PLATO

POLITICAE PHILOSOPHIAE CONDITOR.

Cernimus quid Socrates Platoni in philosophia peragendum reliquerit. Adumbraverat ille leviter, quae hic elaboraret: fundamenta ille posuerat, in quibus hic consummatum fere aedificium exstrueret. Sed pariter item Plato posteris, nobis adeo hisce temporibus, multa reliquit peragenda, quae ipse inchoaverat. In his censenda in primis politica philosophia est. Nos in ea progressus sane admirabiles fecimus, quippe in homine non solum *civem*, ut antiqui, sed etiam *hominem* venerantes, non *civitatis* agentes tantum, sed etiam praecipuoque loco *humanitatis* caussam. Veruntamen ad germanam politicam cum excolendam

recte, tum exercendam, viam nobis praeivit Plato, ut hujus adeo haberi conditor debeat. Nam in eodem illo, quod diximus, palmario philosophi opere, quamvis civitatem finxerit a moribus nostris alienam plane, tamen id persecutus summâ industriâ est et perfecit fere, quod omnibus civitatibus, regnis omnibus in primis convenit et necessarium est plane, civium educationem et institutionem. Profecit in his studiis a Socrate quam plurimum, multum item, ut videtur, a Pythagoreis. Quodsi legimus, quae de musica illic et gymnastica deque utriusque disciplinae vi ad recte educandos adolescentes prodidit, si institutionem attendimus, quam informandis per disciplinas graviores civitatis rectoribus praescripsit, haud dubitabimus sane, quin ipse fuerit verissimae et educationis et institutionis, sine qua vigere civitas nullo modo potest, auctor et conditor. Quid dicam de formis civitatum, de aristocratia, timocratia, oligarchia, democratia, tyrannide, cum ipsis, tum quemadmodum succedere in civitatibus solent? Sic exposuit haec in eadem *Politia* Plato, ut hinc praesertim Cicero palmarii operis sui de Republica principia duceret; posteri autem, quicunque fuerunt, inde perceperint maxime, quae naturales sint civitatum conversiones.. Sed *Politiâ* Plato moralem proprie philosophiam complexus est, politicam adhibens, quo interius hominis justi cum per-

fectionem et excellentiam, tum depravationem perciperemus; senex idem in *Legibus* ipsam tradere politicam philosophiam aggressus est, in quo opere similiter institutionem habet omnis civitatis fundamentum, tum vero *legem* memorat *naturae*, quam, tanquam fontem legum omnium omnisque civitatis praesidium cum Stoici celebrarunt, tum Cicero maxime: quem secuti recentiores philosophi *jus* inde *naturae* informarunt. Nam debuit Cicero Platoni maxime, quae tam diserte pronunciavit: *Est quidem vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quaerendus explanator aut interpres ejus alius: nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immortalis continebit; unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus; ille legis hujus inventor, disceptator, lator: cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominis aspernabitur, atque hoc ipso luet maxi-*

mas poenas, etiamsi caetera supplicia, quae putantur, effugerit (*).

Doctrinae politicae auctor recentioribus Aristoteles fuit; quodsi *philosophiae* quaerimus politicae principia, unus nobis omnium maxime legendus Plato est.

PLATO

NOVAE PHILOSOPHIAE AUCTOR.

Et sic quidem eo pervenimus tandem, ut id, quod diximus, novae plane philosophiae auctorem Platonem fuisse, explicemus. Novitatem autem non intelligimus, quam intelligunt recentiori aetate philosophi, qui singuli ferme novum condere philosophiae systema contenderunt. Plato, ut dramaticus scriptor, in dialogis dicentes fecit alios philosophos, semet ipsum vero dicentem non induxit: in solo *de Legibus* opere, quod senex condidit, ipse, *hospitis Atheniensis* nomine, de institutione et legibus partes habet. Aliena haec ratio ab eorum temeritate est, qui nil nisi novum inauditumque in lucem avent proferre. Sed Platonicae novitas philosophiae primum novâ cernitur formâ. Quis enim ante eum philosophus dialogis

(*) Cicero *De Rep.* III. 22.

scribendis philosophiam tradidit? Inventor, ut vidimus, Socratici dialogi Plato fuit. Tum illud erat in ejus philosophandi ratione novum, quod hac ipsa usurpanda dialogi scriptione, non suam unice, sed in primis maximorum quorumque philosophorum, qui et ante eum fuerant et ipsius aetate vigebant, doctrinam cum adumbraret, tum dijudicaret. Quo fit, ut praestet ejus philosophia admirabiliter rerum sententiarumque copia et varietate, abhorreat plane a systematicorum philosophorum jejunitate. Sed hoc animadvertamus praecipue. Socraticus, ut diximus, philosophus Plato fuit. In aliorum igitur philosophorum sententiis exquirendis et dijudicandis, quaecunque assumebat inde, ad hanc redigebat Socraticam rationem, ut παιδεία hominis plane ejus philosophia esset, non ducta illa solum e Socratis principiis, sed aliorum et celeberrimorum adeo sapientum placitis ac sententiis aucta et locupletata. Effecit autem ita, ut philosophia apud ipsum uno eodemque tenore et certa quadam via procederet. Nam ab artibus orsa, quae pulcrum spectant, ad disciplinas procedit, quibus ad veritatem assequendam erudimur: hinc autem ad verissima ethicae omnis et politicae principia tendit, quibus maxime et hominum et civitatum felicitas provehitur. Cernimus, non formâ solum, sed et materiâ in primisque ordine philosophandi novam fuisse plane Platonis philoso-

phiam. Nec vero hic substitit ejus philosophia. In ipsa tradenda educatione optima, de divina natura philosophus disquisitionem instituit. Quaerit: Οὐκοῦν ἀγαθὸς ὅγε θεὸς τῷ ὄντι τε, καὶ λεκτέον οὕτω; Τί μήν; Ἀλλὰ μὴν οὐδέν γε τῶν ἀγαθῶν βλαβερόν· ἢ γάρ; Οὔ μοι δοκεῖ. Ἆρ' οὖν, ὃ μὴ βλαβερὸν, βλάπτει; Οὐδαμῶς. Ὃ δὲ μὴ βλάπτει, κακόν τι ποιεῖ; Οὐ δὲ τοῦτο. Ὃ δέ γε μηδὲν κακὸν ποιεῖ, οὐδ' ἄν τινος εἴη κακοῦ αἴτιον. Πῶς γάρ; Τί δέ; ὠφέλιμον τὸ ἀγαθόν; Ναί. Αἴτιον ἄρα εὐπραγίας. Ναί. Οὐκ ἄρα πάντων γε αἴτιον τὸ ἀγαθὸν, ἀλλὰ τῶν μὲν εὖ ἐχόντων αἴτιον, τῶν δὲ κακῶν ἀναίτιον. Παντελῶς γὰρ, ἔφη. Οὐδ' ἄρα, ἦν δ' ἐγὼ, ὁ θεὸς, ἐπειδὴ ἀγαθὸς, πάντων ἂν εἴη αἴτιος, ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν· ἀλλ' ὀλίγων μὲν τοῖς ἀνθρώποις αἴτιος, πολλῶν δὲ ἀναίτιος· πολὺ γὰρ ἐλάττω τἀγαθὰ τῶν κακῶν ἡμῖν· καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον· τῶν δὲ κακῶν ἄλλ' ἄττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐ τὸν θεόν (*). Quibus sententiis a teneris inde annis imbuendos et ad virtutem ac justitiam excolendos esse praecipit hominum animos: tum vero in Timaeo scribendo, principem hunc Pythagoreum sublimi et dignâ hoc argumento oratione de Deo disserentem fecit, universi auctore et rectore: quumque idem postremum de *legibus* scriberet, sensu affec-

(*) *De Rep.* II. 379 B. C.

tuque cum de divina natura egit, tum vero providentiam divinam a sophistarum argutiis strenue vindicavit. Escendit ita Plato a philosophia ad theologiam, huic vero recte tractandae philosophiam tanquam instrumentum adhibuit: quo maxime intelligimus, quemadmodum e veteribus philosophis unus Plato proxime ad nostrae religionis doctrinam processerit. Fuit omnino Plato purioris sublimiorisque tam philosophiae quam religionis auctor. Id autem potissimum ipsius aetate *novum* erat. Caeterum, ut aliis philosophis alia debuit Plato, ita idearum doctrinam ipse in lucem prodidit ac perfecit. In legendis ejus scriptis, sicuti ordine subsequuntur, cernimus, quemadmodum cum conceperit doctrinam illam, tum informaverit, tum etiam artibus omnibus et doctrinis tractandis, ipsique homini excolendo perficiendoque adhibuerit. Haec doctrina, quae recte dicta *veritatis disciplina* est, haec, si qua alia, Platoni fuit propria, eademque, ut dominatur ubivis in omnibus philosophi de rebus divinis humanisque placitis, una omnium maxime effecit, ut ipsa Platonis philosophia et esset plane et videretur nova.

Characterem hinc facile ducere philosophiae Platonicae liceat. Sed, ne temere id instituamus, judicio illam nostro subjiciamus, ne ejus dotes ac virtutes admiremur, vitia praetermittamus.

JUDICIUM

DE PHILOSOPHIA PLATONIS.

Quod de scriptis Platonis attulimus Aristotelis dictum: *media ejus oratio est inter poëma et pedestrem orationem:* idem videtur de ejus philosophia dicendum. Sublimis est illa, ut nullius facile philosophi sive veteris sive recentioris aetatis; sed non semper se continuit Plato verae philosophiae finibus, quae et facultatibus ingenii humani et rerum humanarum conditioni est consentanea. Superat multum subinde captum nostrum, superat etiam naturalem vitae nostrae rationem; de utroque videamus singulatim.

In dialecticis scribendis dialogis Plato, quod verbo jam attigimus, ita indulsit ingenio ac fingendi ratiocinandique facultati, ut negligeret plane divinum de semet ipso cognoscendo praeceptum, totum se inanibus, quas vocamus, speculationibus traderet. A priori, ut hoc utar, in *Philebo* gravissimum explicare de virtute et voluptate problema nisus est. Philolai reputans sententiam: *φύσις δὲ ἐν τῷ κόσμῳ ἁρμόχθη ἐξ ἀπείρων τε καὶ περαινόντων, καὶ ὅλος κόσμος καὶ τὰ ἐν αὐτῷ πάντα·* (*) ponebat, constare omnia *τῷ ἀπειρῷ καὶ*

(*) V. qui nostra aetate praeclare de hoc dialogo meriti sunt, in primis Stalb. Praef. ad h. dial.

πέρατι, quibus mixtis tertium exstare τὸ ξυμμισγόμενον: accedere autem hisce quartum, τὸ αἴτιον. E quibus notionibus dirimendam quaestionem, utrum in voluptate, an in virtute felicitas summumve, quod posteri dixerunt, bonum esset, putavit. Id vero, si quaeris, quemadmodum perfecerit; nempe ratiocinandi facultatem miram quandam et incredibilem lectoribus probavit: problema vero non solvit. Sic certe obscurus dialogus est, ut optimi quique interpretes, quamvis omnem ad illustrandum adhiberent et eruditionem et judicandi subtilitatem, tamen ad hoc usque tempus tenebras illas non dispulerint. Quid vero de Parmenide dicam, quo nullum facile antiquitatis monumentum magis cum interpretum tum philosophorum mentem exercuit ac vexavit? Refertur videlicet disputatio ad illud definiendum, quod *est*, tum ad illud, quod *non est*. In his igitur perficere Plato studuit, quod facultates captumque ingenii humani superaret. Quamquam hoc vitium, quod non est sane silentio praetermittendum, magis aetati philosophi, quum nondum esset ad philosophandum maturus, quam viri philosophiae tribuendum est. Nam ut rediit idem ad Socraticum illud γνῶθι σεαυτόν atque explorando homine principia quaesivit pulcri, veri, boni, justi, divini, tum vero et recte denuo philosophari coepit et dialogos scripsit, quales sunt Gorgias, Politia,

Phaedo, Symposium; quibus nil unquam scriptum est elegantius, sublimius, nil item, quod magis ad res humanas provehendas, ad ipsum provehendum philosophiae decus valuit. Quod ipse in *Sophista* scripsit, id maxime inter sophistam et philosophum discriminis intercedere, ut ille rebus gravissimis tenebras, hic lucem affundat, illud equidem in ipsa viri scripta adhibendum arbitror. Nam fateamur necesse est, in obscuris dialogis illis Platonem sophistam magis, quam philosophum egisse.

Quodsi frustra Plato in *Parmenide* ipsas declarare ideas annisus est, abest tamen multum, ut, quae plurimorum fere sententia fuit, ipsam, quam condidit, idearum doctrinam supra ingenii humani facultates putemus esse. Nova haec fuit, ut diximus, in philosophiae historia; veruntamen, si originem spectas, ducta erat e Socraticae philosophiae fonte, in qua quaeri de pulcro, de bono, de justo, de divino solebat: Plato autem ex Eleaticorum disquisitionibus de eo, quod *est*, proficiens, quaerere instituit de *ipso* et pulcro et bono et justo et divino; quam doctrinae originem scripta Platonis referunt. Initia ejus in *Phaedro* jam exstant, ubi Socrates poëtica et Parmenidea plane ratione de loco ὑπερουρανίῳ, idearum sede, canit. Nondum erat illa aetate auctor ad recte haec explicanda aptus ac maturus. Αὐτὴν τὴν δικαιοσύνην, αὐτὴν τὴν σωφροσύνην,

αὐτὴν τὴν ἐπιστήμην (*) non, ut in *Phaedone* postea fecit, *αὐτὸ τὸ καλὸν, αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν, αὐτὸ τὸ δίκαιον, αὐτὸ τὸ θεῖον* memorabat: sed illa jam aetate Plato, uti cernimus, sublimem doctrinam animo concepit; postea vero eandem in consummatae doctrinae scriptis sic exposuit, sic et artibus elegantioribus et subtilioribus gravioribusque disciplinis, recto verissimoque proposito tractandis, adhibuit, ut eas per hanc ipsam maxime doctrinam instaurasse videatur. In his vero omnibus nihil est, quod a Socraticae philosophiae simplicitate abhorreat, nihil, quod captum nostrum superet. Nam perfectum illud, sive pulcrum, sive bonum, sive justum, sive divinum non assequi nos jubet philosophus, sed sectari, quo illuc accedere sensim paulatimque propius possimus. Veruntamen idem Plato, quod in ideis perfectum cernebat, id transtulit perverse in res humanas atque ita, quod diximus, evenit, ut ejus philosophia rerum humanarum conditioni non esset congrua.

Sic excolendum esse statuit hominis ingenium, ut mature converteretur ad illud, quod verum perfectumque esset. Recte profecto. Nam quis exstitit unquam vero nomine musicus, poëta, orator, philosophus, quin animo intueretur pulcrum, bo-

(*) *Phaedro*. 247 D.

num, justum, divinum. *Phidias*, ait Cicero, *cum faceret Jovis formam, aut Minervae, non contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulcritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat.* Pariter acturus ipse erat, quod his subjungit: *in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit* (*): factumque ita est, ut semet ipsum ad perfectam illam oratoris formam effingens, talis, qualis fuit, orator fieret. Nec aliter se philosophi ratio habet. Nisi conceperit animo veram pulcri honestique speciem, ipsius virtutis ac justitiae imaginem, recte disserere de honestate, de virtute, de justitia non poterit. Comprobanda omnibus haec Platonis doctrina est; sed non probandum, imo reprehendendum gravissime, quod commisit idem, quum perverse haec placita ad res humanas, ad civitatum conditionem applicaret. Rempublicam esse unam debere censebat, nec temere: nam, ubi in varias distrahitur partes et factiones, quae singulae civitates videantur, sibique invicem sint oppositae, nulla esse reipublicae salus potest. Sed perfectum illud, quod mente tenebat, ad reipublicae unitatem transferens, diversas in ea familias esse, di-

(*) Cic. *Orat.* I. 2.

versa patrimonia noluit, pervenitque ita ad absurdum illud de foeminarum et divitiarum communione decretum. Nos mittamus hoc facile: nam placitum fuit philosophi, cum ipsa philosophiae, quam condidit, indole et natura non est conjunctum. Veruntamen hac ipsa factum est philosophandi ratione, ut philosophi deinceps multi, perverso hoc ducti perfectionis studio, res humanas non, quales essent atque esse deberent, attenderent, sed tales fingerent, quales ipsis eas fingere, repugnante adeo natura, placeret.

Vitia haec sunt sive philosophiae Platonicae, sive ipsius Platonis. Sed sunt etiam, quae desideremus in ejus philosophia, quam plurima et gravissima. Valet haec philosophandi ratio ad cognoscendum hominem: valet ad educationem, institutionem, perfectionem hominis provehendam: valet item ad recte informandas regendasque civitates: valet praesertim, quod e dialectica viri atque idearum doctrina patet, ad *veritatem* cernendo jungendoque assequendam; ad *naturae* vero cognitionem non valet, certe non sufficit. Τὰ δενδρὰ, apud Platonem dicit Socrates, *οὐδέν με θέλει διδάσκειν, ἀλλ' οἱ ἐν ἄςει ἄνθρωποι* (*). Sane, ubi Plato rerum naturam explicare aggreditur, sic miscet cum rebus divinis et humanis res

(*) *Phaedro*. 230 D.

naturales, ut turbet magis omnia, quam illustret. Cujus rei documentum in primis *Timaeus* est, quo omnem exposuit, quam consequi potuerat, rerum physicarum doctrinam. Proficere inde parum omni aevo rerum naturalium perscrutatoribus licuit: hi adeo communi fere consensu ineptam hanc esse ac perversam naturae indagandae rationem statuerunt. Apta omnino philosophia Platonis est ad interiorem sive moralem mundum investigandum, ad exteriorem cognoscendum mundum non est idonea. Tum vero dialectica philosophi, quae cernendo jungendoque, in primis vero cernendo continetur, ut ad inveniendum est accommodatissima, ita vix adhiberi ad probandum demonstrandumque potest: quamobrem philosophis instituendis disquisitionibus magis, quam tractandis doctrinis inservit. Sed hac de re deinceps, postquam Aristoteleae philosophiae naturam ac rationem exposuerimus; nunc Platonicae exprimere characterem conemur.

PHILOSOPHIAE PLATONICAE CHARACTER.

Non alia est hujus, quam Socraticae philosophiae ratio. Nam indole et disciplina Plato Socraticus fuit, et quamvis subinde a magistro discesserit, eaque assequi studuerit, quae captum ho-

minis superarent, non mutavit tamen, quibus imbutus ab illo fuerat, philosophandi principia. Tum vero idem Plato, cum mira esset quadam poëseos facultate, ut non minus videretur ad poësin, quam ad philosophiam a natura destinatus, cum insatiabili esset item cognoscendi cupiditate atque ultimas terras adiret, ut, quod Cicero ait, *ubi quid esset, quod disci posset, eo veniret* (*), his propriis ipsi et dotibus et virtutibus accidit, ut scriptis suis philosophiam Socratis non solum admirabili sermonis sublimitate explicaret legentibus, sed adjungeret item aliorum philosophorum, ipsorum adeo poëtarum placita, quibus et illustraretur et confirmaretur. Constat omnino, Socratis philosophiam per Platonem maxime et commendationem et vero auctoritatem accepisse; sed debuit haec eidem alia etiam et longe graviora. Effecit enim Plato, ut viâ et ratione procederet, ut artibus et disciplinis, ipsi adeo morali et politicae disciplinae veluti vitam inderet, quin etiam, ut posteris esset cum Graecis tum Romanis religio purior. Sic eam equidem describendam arbitror. Quodsi vim ipsi propriam, omninoque *characterem* quaerimus, respiciendus nobis prae caeteris omnibus est, qui dominatur per eam totam, quoque movetur unice ac veluti animatur, *pulcri bonique*, tum maxime *veri amor*.

(*) *Tusc.* IV. 19.

Satis mihi videor, Sodales exoptatissimi atque eruditissimi, de Platonis philosophia dixisse, ut nec eam laudemus nimis nec vituperemus, sed qualis sit, quemque inde fructum percipere philosophi ad recte philosophandum et possint et debeant, aestimemus ac perspiciamus. Nunc ad praestantissimum divini philosophi discipulum, Aristotelem, accedamus: in cujus philosophandi viâ judicandâ et cum Platonis ratione comparandâ, age, navemus operam, ut idem nos ducat veri justique studium.

ARISTOTELES.

DISQUISITIO CRITICA

DE

ARISTOTELICAE PHILOSOPHIAE ET PLATONICAE DISCRIMINE ET CONJUNCTIONE.

> *Aristotelem, excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum.*
> Cic. Fin. V. 3.

Videtur Aristotelis philosophia, Sodales, magis, quam Platonis, studiis nostris consentanea. Hinc enim nos, a temporibus inde Abelardi, nostram potissimum cum disserendi scribendique rationem, tum doctrinarum excolendarum methodum, tum metaphysicam, tum vero in primis naturae observationem duximus. Quodsi revixit identidem in gentibus Europaeis Platonis studium, ut excitaretur in iis denuo pulcri venustique, imo justi, sancti ac divini amor, fuit hoc ad brevis temporis usum: Aristotelica philosophia dominari rursus coepit, sibique Platonicam subjecit. Vix igitur nobis, in philosophiae tractandâ historiâ, in ipsa adeo philosophiâ tractandâ, gravius argumentum est, quam

explorare interius tum ipsum Aristotelis ingenium, tum celebratissimam, quam ille peperit scriptisque propagavit suis, philosophandi rationem: quippe quo nihil magis ad nostra regenda philosophiae studia valet. Instituemus id autem, credo, hoc in primis loco opportune, postquam philosophiae Platonicae, quam negligere nobis, quamvis in Aristotelem naturâ pronis, non licet, characterem studuimus exprimere. Age igitur, tertius sit nobis, in hoc nobilissimo celeberrimoque philosophorum triumviratu, Aristoteles (*).

Non perfecit philosophando Aristoteles, quod sive Socrates, sive Plato inchoaverat, sed aliam ipse longeque ab his diversam ad philosophandum viam iniit. Natus patre, qui in Macedonici regis aulâ medicinam factitabat, a tenera ipse aetate ad naturae observationem adductus est, cujus studio constanter se dedit. Erat autem ei excellens ingenium, non, ut Platoni, poëticum, sed acre, sed

(*) Ut Platonis, ita Aristotelis etiam hac aetate acerrimum studium est. Quae prodierunt de eo in Gallia et Germania scripta, nos data subinde opportunitate annotabimus. Hic memoramus doctissimi viri, *Barthélemy St. Hilaire* consilium Francice vertendi Aristotelis: quod partim jam perfecit editis *Politicis*. Vertit nuperrime *Metaphysica* cl. *Cusinus*, praeclaro de Aristotele exordio praemisso. V. Barth. St. H. *Oeuvres d'Aristote*. 1837. 2 voll. Cousin, *de la métaphysique d'Aristote*. Ed. II. Paris 1838.

subtile, sed facultate rerum explorandarum et discernendarum eximia quadam et propemodum singulari ac divina praeditum. Quo factum continuo videtur, ut, quum florente aetate in Platonis delatus disciplinam esset, minus poëticà ille magistri, quam dialectica philosophandi ratione caperetur: quamquam idem, pro tali ingenii magnitudine, a Musis non abhorrebat. Dialogos scripsit, Platonis instar, quam plurimos, quorum adeo fragmenta exstant: non quidem, ut videtur, nativâ illâ *gratiâ* ac venustate, qua Platonis sunt dialogi; veruntamen cum aliis, tum oratoriis in primis dotibus insignes. Quo respexisse Cicero videtur, ubi Aristotelis orationem dilaudat: »*Incredibilem esse ait Aristotelis dicendi copiam et suavitatem* (*). Aristotelem *flumen orationis aureum fundentem* facit (†). *Aristotele neminem esse*, dicit, *nervosiorem in scribendo* (§). Quin etiam idem Aristoteles non omni omnino fuit poëtica facultate destitutus, ut ex hymno in virtutem intelligitur, quem nobis tempora servarunt. Scribendis autem dialogis, in quibus praesertim ab antiquis memorantur Eudemus (**), Συμπόσιον (††), Ἐρωτικά (§§), operam navasse juvenis videtur, quum primum Platonis disciplinâ uteretur: suntque hi in primis

(*) *Top.* 3. (†) *Acad.* IV. 29. (§) *Bruto.* c. 32. (**) Plut. ad Apoll. c. 27. p. 115. (††) Vid. Wolf. ad Plat. *Symp.* p. 6. (§§) Athen. XIII. 564 et XV. 674.

in illis philosophi operibus censendi, quae vulgo dici exoterica solent, nobisque eheu! perierunt (*). Postea, ut dicere instituimus, dialecticam maxime magistri rationem sectatus est. Quo in genere quae ab eo scripta sunt, cum fere sola nobis supersint, aegre nos judicare de Aristotelis oratione possumus. Nam in his dictio est subtilis, sana et accurata, non vero elegans, minimeque Ciceronis illis laudibus respondens: similis omnino Platonis dictioni, ubi is pariter in *Sophista*, in *Politico* aliisque in dialecticis dialogis dialecticae tradit viam: caeterum, si qua alia, a Platonis suavitate atque elegantia abhorrens. Quo fit, ut nos fere, ubi lectis Platonis mimis ac dramatibus, quae ficta ab ipsis Musis Gratiisque videntur, in haec incidimus, quae restant sola, Aristotelis scripta, vix nobis persuadeamus, discipulum nos legere divini Platonis. Exstat in iis adeo, ut in Stoïcorum, qui postea scripserunt, libris, novarum vocum fingendarum studium, quo nil est literis humanioribus ipsique philosophiae perniciosius, siquidem voces illae dicendique formae non ducantur e linguis et quasi eliciantur atque provocentur, sed iis durum in modum obtrudantur. Aristotelicae autem innovationes itemque Stoïcae ab ipsa linguae Graecae

(*) De his vid. Cic. *ad famil.* I. 9. 23. *De Finib.* V. 5 *Ad Att.* IV. 16.

ratione et consuetudine abhorrent magnam partem, magisque illis corrupta lingua est, quam locupletata. Caeterum, uti fit, scribendi formae apud Aristotelem philosophandi ratio respondet. In plerisque philosophi scriptis, quae interioris esse indaginis videntur praecipueque vocantur esoterica, v. c. in opere *περὶ ψυχῆς*, rejicit nos non minus rerum disquisitionumque, quam orationis obscuritas, ut, si quid contineant cum historia philosophiae conjunctum, id amplectamur avide: caetera vero, quae argumentationibus continentur perpetuis et infinitis fere, vix intelligamus. Et sane quicunque tam antiquitus, quam recentiore aevo Aristotelici fuerunt, neque a stili, neque etiam a philosophiae elegantiâ se commendarunt magnopere (*).

Verum his praemissis de oratione philosophi, ipsam nunc datâ operâ Aristotelis philosophiam

---

(*) Est autem, quod dubitemus, num ipse haec ediderit scripta. Credibile est, Aristotelem Exoterica sic limasse ac perfecisse, ut edenda viderentur; caetera vero auditoribus tantum destinasse, quae ipse dicendo explicaret et commendaret. Physicas sane disquisitiones in usum maxime auditorum scripsit, ut e titulo apparet *ἀκροάσεις φυσικαί*, atque universe *ἀκροατικά* dicuntur, quae *τοῖς ἐξωτερικοῖς* opponuntur. Vid. Gell. N. Att. xx. 5. Hinc duxerim, quare Organon v. c. et Metaphysica in aliis membranis alio ordine occurrant. Ita Ciceronis, ut hoc utar, de *Republ.* opus, antequam ab ipso editum est, varium ordinem, certe variam distributionem habuit. Vid. Barthel. St. Hilaire, doctissimo operc. Rem ego aliorum disquisitionibus relinquo.

ac praeclara ejus in doctrinas omnes, quin etiam in artes ac literas merita spectemus. Contulit scilicet ille admirabilem illam ingenii judiciique subtilitatem ad gravissima capessenda perficiendaque negotia, illa maxime, quae neglexerat Plato: contulit ad doctrinas singulas et cernendas a caeteris et novo methodi genere tractandas: contulit ad dialecticam condendam novam, quae non solum ad cernendum jungendumque, sed ad probandum etiam refutandumque inserviret: contulit ad novam effingendam summamque doctrinam, quae caeteris doctrinis omnibus longe longeque et ambitu et auctoritate praestaret: contulit denique, quo nobis profuit potissimum, ad recte observandam naturam. De singulis illis nobis singulatim erit agendum; sed de naturae hoc studio, cui se a tenera inde aetate plurimum dedisse videtur, primum juvat quaerere.

ARISTOTELES

NATURAE OBSERVATOR.

Non fuit philosophus, qui latiorem, quam Aristoteles, disquisitionibus suis campum destinaret, eundemque majore perlustraret diligentiâ. Universam mente rerum naturam complectebatur, nec vero res humanas negligebat. Quo accidit,

ut ab hujus inde aetate praecipue philosophia *rerum divinarum atque humanarum scientia* vocaretur. Simile quid mente jam agitaverant ante eum cum Ionici sapientes, in quibus naturam perscrutatus summo studio est Anaxagoras, tum potissimum Democritus. Hic pariter, de communi antiquorum sententia, cognoscendi studio nil non persecutus est. Scripsit de rerum universitate, de agriculturâ, de physicâ, de astronomiâ, de geometriâ, de medicinâ, de historiâ, itemque de rebus moralibus, eratque, ut refert Diogenes Laertius, *ὡς ἀληθῶς ἐν φιλοσοφίᾳ πένταθλος· τὰ γὰρ φυσικὰ καὶ τὰ ἠθικὰ, ἀλλὰ καὶ τὰ μαθηματικὰ καὶ τοὺς ἐγκυκλίους λόγους καὶ περὶ τεχνῶν πᾶσαν εἶχεν ἐμπειρίαν* (*). Sed nondum tenuerant prisci sapientes illi, ipse tenuerat nondum Democritus dialecticae facultatem: quâ non licet carere, si quis ordine explicare argumenta haec varia et gravissima velit. Aristoteles hanc artem in schola Platonis didicerat, adhibuitque studiis suis omnibus. Quid? quod eandem ille artem multo diligentius etiam, quam magister, excoluit, hac spe potissimum, ut viam sibi et rationem pararet ad discernendum, si quid confusum videretur, ad conjungenda, quae recte discreverat, tum etiam ad singula et uni-

(*) Diog. L. in vita. Fabric. *Bibl. Gr.* v. 1. p. 762.

versa cum exploranda accurate, tum in locos suos certasque classes distribuenda. Testantur id physica viri opera. Nam scripsit pariter ac Democritus de nullis non argumentis, quae ad rerum naturam pertinent, ut tituli operum cum superstitum, tum etiam perditorum demonstrant: quos nemo perlustrat oculis, quin et varietate et distributione Aristotelicae physicae obstupescat (*). In his autem omnibus, quae quidem legere nobis etiamnunc licet, non solum, quod dixi, acerrimum viri ingenium judiciumque, sed summam pariter ipsique naturâ propriam cernendi jungendique facultatem, tum artem in primis distribuendi singula in locos suos admiramur.

Cadebat autem aetas Aristotelis in illa tempora, quae explorandae rerum naturae in primis erant apta. Aperiebat ipsius alumnus, Alexander, victoriis suis, novum amplissimumque physicis studiis naturae theatrum, Orientem ferme totum. Qua opportunitate usi sunt certatim Graeci philosophi, cum ad explendum insatiabilem, quo erant, explorandi cognoscendique studium, tum vero maxime ad singulas illas terras, in quibus aliud erat coelum, aliud hominum animantiumque genus, alia erant et perquam varia cum flumina, tum arbusta, tum metalla, ad illas igitur terras

(*) V. Fabr. l. l.

omnes sedulo et explorandas et discernendas. Profecit hinc autem ipse philosophus ad naturae studia cum alenda, tum provehenda: profecerunt inde certe germani ejus discipuli, in quibus maxime censendus Theophrastus est: celebratissimum hinc exstitit Theophrasti opus, hodieque superstes, *historia plantarum.* Dignus, quem hic adscribamus, Plinii locus est: *Alexandro Magno rege inflammato cupidine animalium naturas cognoscendi, delegataque hac commentatione Aristoteli, summo in omni doctrina viro, aliquot millia hominum in totius Asiae Graeciaeque tractu parere ei jussa, omnium, quos venatus, aucupia, piscatusque alebant, quibusque vivaria, armenta, alvearia, piscinae, aviaria in cura erant, ne quid usquam genitum ignoraretur ab eo: quos perconctando quinquaginta ferme volumina illa praeclara de animalibus condidit* (*).

(*) Plin. *Hist. Nat.* VIII. 16. Vid. F. A. Gallisch, *Diss. de Arist. rei naturalis scriptore.* Lips. 1776 et opusc. nuper editum *Phytologiae Ar. fragmenta.* Ed. Fr. Wimmer Vratisl. 1838.

ARISTOTELES

DOCTRINARUM INSTAURATOR.

Erat igitur Aristoteles, si quis philosophorum alius, et ingenio et disciplina, adde et temporum opportunitate, ad instaurandas perficiendasque physicas doctrinas, aptissimus. Disquirendum hîc autem nobis est, quemadmodum id factitaverit. Nam aderant doctrinae ipsius aetate: physicis, mechanicis, astronomicis, botanicis, geographicis, medicis, politicis, moralibus, historicis, antiquariis, nullis ferme non doctrinis studuerant ante eum Ionici, Pythagorei, imo vero ipsi adeo in Oriente sapientes. Quid igitur molitus in his est, quid perfecit Aristoteles? Idem scilicet, quod perfecerat paullo ante, artium disciplinarumque instauratione, Plato. Hujus item aetate adfuerant artes, musica, poësis, sculptura, architectura, adfuerant disciplinae item, nec defuerant adeo, qui arithmeticae, geometriae, disputandi etiam arti eximie navassent operam; sed Plato cum artes tum disciplinas *instauravit*, id est, hunc in modum instruxit, ut suâ singulae optimâque ratione colerentur. Similiter Aristoteles *doctrinarum* fuit *instaurator*. Apud priscos philosophos, apud ipsum adeo Platonem, communi hae continebantur philosophiae nomine. Sed Aris-

toteles eas demum, pro singulari illa, qua valebat, cernendi jungendique facultate, in genera et species distribuit. Quo factum deinde omni aevo est, ut tractarentur singulatim cum doctrinae quaeque maximae, physicae, politicae, morales, tum partes earum, quae, uti post eum numero identidem increverunt, ita hodie quidem et numero et varietate ferme sunt infinitae. Nec vero hic substitit Aristotelis studium atque industria. Idem cuivis praescribere doctrinae studuit, qua ratione optime, qua methodo tractanda videretur. Temere id vulgo institui solebat, ut studio et ardore inquireretur in omnia, deesset vero diligentia, observandi assiduitas, laboris patientia. Quodsi magni subinde viri exstiterant, qui divina ingenii facultate compensarent, quod ipsorum arti deesset, in quibus censendi sunt Democritus, Heraclitus similesque physici, tum parens medicinae, Hippocrates: naturae hoc debuerunt, non philosophiae. Aristoteles autem verissimas discernendi conjungendique leges constituit; tum vero methodum induxit, qua et disputaretur de doctrinis et scriberetur. Nam haec desiderabatur maxime, quum de verbis vulgo magis, quam de rebus ageretur. Ille definiendi dedit praecepta, ut ne temere vagaretur oratio, sed, qua de re sermo esset, constaret: descripsit, quemadmodum res, de quibus ageretur, in partes dis-

tribuerentur, nec miscerentur disputando scribendoque omnia: unde norma exstitit disserendi. Quin etiam idem ille non leges solum praeceptaque dedit: ipse viam praeivit omnibus, qui recte excolere doctrinas studerent, praeclaris illis scribendis, quae hodieque restant, de rhetorica, politica et ethica operibus.

His autem cunctis factitandis cum adhiberet admirabile perscrutandi inveniendique acumen, non mirum, multos antiquitus fuisse, non rhetores solum, sed philosophos adeo, quos scribendi, quam carpebant, obscuritas rejiceret. Qua de re memorabilis in primis apud Ciceronem locus est, ubi ad Trebatium de *Topicis* Aristotelis scribit. *Incidisti, Trebati, in Aristotelis Topica quaedam, quae sunt ab illo pluribus libris explicata. Qua inscriptione commotus, continuo a me corum librorum sententiam requisisti. Quam tibi quum exposuissem, disciplinam inveniendorum argumentorum libris illis contineri, mecum, ut tibi illam traderem, egisti. Quum autem ego te, vel ut eos per te ipse legeres, vel ut totam rationem a doctissimo quodam rhetore acciperes, hortatus essem: utrumque es expertus. Sed a libris te obscuritas rejecit. Rhetor autem ille magnus haec, ut opinor, Aristotelica se ignorare respondit. Quod quidem minime sum admiratus, eum phi-*

losophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis, praeter admodum paucos, ignoretur. Quibus eo minus ignoscendum est, quod non modo rebus iis, quae ab illo dictae et inventae sunt, allici debuerunt, sed dicendi quoque incredibili quadam cum copia, tum etiam suavitate (*).

ARISTOTELES

HISTORICUS ET CRITICUS.

Hac Aristoteles ratione instauravit doctrinas: et dici vix potest, quantopere id factitando *historiae* item provexerit studia. Scripsit opus, nobis eheu! exceptis locis quibusdam, deperditum, περὶ πολιτειῶν, in quo eâdem, ut e fragmentis illis apparet, diligentiâ centum quinquaginta octo civitatum, — in quibus adeo Roma, id temporis obscura in historia, eum non latuit (†), — tot igitur civitatum leges, formas, instituta descripsit, qua in physicis operibus singula plantarum, animalium, hominum genera persecutus erat.

Nec studiis ille tantum consuluit, quae ad *gentium* historiam pertinerent. Primus fuit, qui data opera historiam philosophiae *traderet*, ex-

(*) *Top.* I. (†) V. Heeren, *de fontibus Plut.* p. 119.

plicandis censendisque nullorum non sive sapientum sive philosophorum placitis: quod fecit eo in opere maxime, cujus pars nobis superest in libro *de Xenophane, de Zenone, de Gorgia* (*). Primus etiam idem Aristoteles fuit, qui *rhetoricae* conderet *historiam:* quod, quanta diligentia perfecerit, testis nobis Cicero est, qui ipse opera illa et legit et quam plurimum inde videtur ad *Brutum* sive dialogum de *claris oratoribus* scribendum duxisse. *Veteres scriptores artis*, ait, *unum in locum conduxit Aristoteles, et nominatim cujusque praecepta magna conquisita cura perspicue conscripsit, atque enodata diligenter exposuit. Ac tantum inventoribus ipsis suavitate et brevitate dicendi praestitit, ut nemo illorum praecepta ex ipsorum libris cognoscat, sed omnes, qui, quod illi praecipiant, velint intelligere, ad hunc, quasi ad quemdam multo commodiorem explicatorem, revertantur. Atque hic quidem ipse et sese ipsum nobis et eos, qui ante se fuerant, in medio posuit, ut et caeteros et se ipsum per se cognosceremus* (†).

Versatus in his ita est, ut in rebus naturalibus explicandis: quod acute vidit Cicero. *Aris-*

(*) V. Am. Jacques, *Aristote considéré comme historien de la philosophie*. Paris 1837. (†) *De Invent.* II. 2.

totelis, ait, *et illum legi librum, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum, et illos, in quibus ipse sua quaedam de eadem arte dixit. Eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, haec quoque adspexit, quae ad dicendi artem pertinebant* (*). Conjunxit autem cum his studiis doctissimus philosophorum, ut recte dictus a Cicerone Aristoteles est, criticam et grammaticam. Harum adeo ipse maxime auctor fuit. Quod non latuit Veteres (†). Nec sane critica ac grammatica neglectis, recte quis possit in historia sive gentium, sive philosophiae, sive eloquentiae procedere.

Caeterum Aristoteles, ut vastum disquisitionibus orbem complexus est, ita has ipsas disquisitiones admirabili quadam facilitate et brevi temporis spatio perfecit, ut recte philosophus cum rege, quem excoluit, comparatus sit, qui eadem et facilitate et temporis brevitate novum orbem, totam Asiam, regno suo subjecit. Quo aptius Cicero ipsius Aristotelis de rebus, quas perfecerat, dictum protulit: *Aristoteles*, ait, *veteres philosophos accusans, qui existimavissent, philosophiam suis ingeniis esse perfectam, ait, eos*

(*) *De Orat.* II. 38. (†) Dio Chrysost. Orat. L. III. 553. — Ἀριστοτέλης, ἀφ' οὗ φασι τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν.

aut stultissimos aut gloriosissimos fuisse: sed, se videre, quod paucis annis magna accessio facta esset, brevi tempore philosophiam plane absolutam fore (*).

ARISTOTELES

NOVAE DIALECTICAE AUCTOR.

De laudibus hactenus Aristotelis diximus, quibus, ut nobis quidem videtur, maxime est celebrandus, quamquam aliter posteris visum est. Condenda enim cum logicâ tum metaphysicâ, multo ille magis etiam, quam naturae observatione, distributione doctrinarum atque historiae literarumque studio, nominis sibi famam et immortalitatem comparavit. Destinavit utrique explicandae doctrinae peculiare opus, in scriptis ejus longe celebratissimum, alterum de argumentandi arte, de prima philosophia alterum, quorum illud posteri Ὄργανον, quasi *instrumentum* sive *manum philosophiae* (†), alterum Μεταφυσικὴν appellarunt: de illo primum agendum nobis, quippe quo aditum sibi ad primam, i. e. summam philosophiam fecit.

(*) *Tuscul.* III: 28. (†) Ὄργανον ὀργάνων καὶ χεὶρ τῆς φιλοσοφίας. V. docta et diligens hac de re, ac de tota Arist. dialectica disquisitio: Barthélemy St. Hilaire *de la Logique d'Aristote*. V. I. p. 15.

Organo igitur scribendo Aristoteles novum dialecticae genus in lucem protulit, quod non solum cernendo jungendoque contineretur, sed artem in primis argumentandi praecipueque probandi ac refutandi complecteretur. Nam eorum, quae dixi, omnium initia in Platonis scriptis exstant. Disputandi in illis ratio per *διαιρέσεις*, quas vocat, et *συναγώγας* ubivis et usurpatur et celebratur (*); *definiendi* adeo, itemque *distribuendi* in partes argumenti exemplum in *Phaedro* dederat, ubi Socratem induxit, Lysianae de amore orationi temere nec ordine procedenti, suam de eadem re orationem opponentem, quae ab amoris definitione ducta, discernendo deinceps et dividendo ad probabilem conclusionem duceret. Nec defuit in iisdem Platonis scriptis, in Phaedone potissimum, accuratae et fere syllogisticae demonstrationis exemplum. Sed de industria demum Aristoteles hanc ipsam demonstrandi probandique itemque refutandi rationem, *συλλογιστικήν* omnino, quam vocabat, elaboravit: eandemque philosophis omnis deinceps aevi tanquam instrumentum, imo vero tanquam gladium tradidit, quo et suam caussam vindicarent et adversariorum argumentationes refutarent, omninoque in omni disputandi certamine victoriam reportarent.

(*) *Phaedro* v. c. 266 B.

Ansam praebuisse Aristoteli ad novum hoc tractandum dialecticae genus exercitatio et ars videtur in utramque partem dicendi, quae item illi debetur. Fecerant id sophistae certatim: fecit postea Romae Carneades, quum eadem sermonis persuasione altero die pro justitia, altero in justitiam diceret: ejusdemque exercitationis exemplum documentumque peti e Politia Platonis poterat: ubi simile quid, sed alio proposito, dicendo agunt Glauco et Adimantus. Aristoteles vero et Peripatetici primi id *arte* perficere studuerunt. *Disserendi*, ait Cicero, *a Peripateticis non dialectice solum, sed etiam oratorie, praecepta sunt data: ab Aristoteleque principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta, ut non contra omnia semper, sicut Arcesilas, diceret, et tamen, ut in omnibus rebus, quidquid ex utraque parte dici posset, expromeret* (*). Et vero idem Cicero ab Aristotele maxime hanc didicisse artem videtur. Nam quod dicit, *Aristoteleo* se *more* dialogos scripsisse, non ita accipiendum, quasi non Platonem, sed Aristotelem ad hoc scribendi genus ducem habuisset: spirat Platonis studium in optimis quibusque ejus dialogis; sed *Aristoteleo more* Cicero artem illam celebratissimam in utramque partem disserendi in-

(*) *De Fin.* V. 4. V. Wyttenb. ad Plat. *Phaed.* p. 249.

tellexit, quam princeps docuerat Aristoteles, ipse vero in libris de *Oratore*, de *Republica*, de *Finibus*, aliis in dialogis usurpavit. Haec autem sive exercitatio sive ars, quae mirifice ad alenda eloquentiae studia, tum vero etiam ad locos philosophiae gravissimos plene explorandos ac perpurgandos valuit, arcte est cum probandi demonstrandique itemque refutandi officio conjuncta. Nam sive quis suam probare sententiam, sive alienam refutare velit, demonstratione opus est. Nec sane temere statuamus, Aristotelem, hac ipsa docenda syllogistica geometris normam dedisse, ad sic tradendam geometriam, uti tradita in immortali Euclidis opere exstat.

ARISTOTELES

METAPHYSICAE CONDITOR.

Accedimus tandem ad eam doctrinam, qua in primis Aristoteles sempiternam assequi famam studuit, *metaphysicam* dico, sive caussarum scientiam. Nam rebus exquirendis cum naturalibus tum humanis non contentus, altius spectavit. De iis quaesivit adeo, quae ὑπὲρ τὴν φύσιν, *supra naturam* essent, veluti de mundi primordiis, de Deo, de animi natura (*). Idem vero, ut omnia, quae-

(*) Metaph. III. 3. *ἐπεὶ δ' ἐστιν ἔτι τοῦ φυσικοῦ τι ἀνωτέρω* —

cunque cernendo jungendoque explicuisse sibi videbatur, in doctrinae formulam redigere solitus fuerat, harum etiam rerum doctrinam condidit, eique tradendae ac stabiliendae novum illud, quod diximus, dialecticae genus adhibuit. Dici haec doctrina a posteris non *metaphysica*, sed potius *hyperphysica* debuerat (*): ipse eam τὴν πρώτην φιλοσοφίαν, tum etiam σοφίαν, itemque θεολογίαν appellavit: fuit autem proprie τῶν αἰτίων ἐπιστήμη, *caussarum scientia*. Etenim in opere, quo eam de industria explicuit, omnium rerum cognitionem a scientia caussarum repetit. Quae ratio ipsum tanquam physicum philosophum decebat. Nam in physicis quatuor posuerat rerum principia, e quibus omnem rerum naturam duceret et explicaret. Supererat igitur, ut horum etiam sive principiorum, sive elementorum caussas exquireret.

Hanc autem non vulgarem, sed *primam*, sed *principem* esse *philosophiam* volebat: eandemque *sapienti* censebat tractandam, qui non humanis negotiis occuparetur, sed res sublimiores spectaret, non πρακτικήν, sed θεωρητικήν vitam ageret.

---

supra naturam adeo aliam intelligit ac superiorem naturam: Εἰ μὲν οὖν αἱ φυσικαὶ οὐσίαι πρῶται τῶν ὄντων εἰσί, κἂν ἡ φυσικὴ πρώτη τῶν ἐπιστημῶν εἴη· εἰ δ' ἔστιν ἑτέρα φύσις καὶ οὐσία χωριστὴ καὶ ἀκίνητος, ἑτέραν ἀνάγκη καὶ τὴν ἐπιστήμην αὐτῆς εἶναι. Cf. Wyttenb. *Instit. Metaph.* p. 6. Nieuwenhuis, *Elem. Metaph.* p. 1. (*) Nobis hoc nomine vocatur *bovennatuurkunde*, *overnatuurkunde*.

Unde ipsam esse *sapientiam* hanc doctrinam dicebat. Caeterum in caussis rerum omnium exquirendis escendit tandem Aristoteles ad Deum, universi auctorem: ut summas in hac prima philosophia partes *theologiae* tribueret.

Sic igitur philosophus ille, qui idem erat et naturae observator et doctrinarum instaurator et historiae literarumque interpres, et vero novae methodi dialecticae auctor, doctrinis physicis eam praemittendam esse doctrinam ratus est, quae et universas illas et vero rerum omnium scientiam complecteretur. Posteri eam ad popularem captum accommodarunt, ut auctor libelli *περὶ κόσμου*, qui vulgo Aristoteli tribuitur. *Καθόλου*, ait, *ὅπερ ἐν νηῒ κυβερνήτης, ἐν ἅρματι δὲ ἡνίοχος, ἐν χορῷ δὲ κορυφαῖος, ἐν πόλει δὲ νόμος, ἐν ϛρατοπέδῳ δὲ ἡγεμών· τοῦτο θεὸς ἐν κόσμῳ* (*). Ipse vero doctrinae conditor, quo eam diligentius subtiliusque traderet, interiorem illam sive Platonis, sive Eleaticorum de eo, quod *est* et *non est*, philosophiam, quam avide juvenis a magistro acceperat, adhibuit, nec vero de divina tantum, sed etiam de animi humani natura quaesivit: factumque ita est, ut princeps illa doctrinarum, quae proprie disquisitionibus de universo atque universi auctore, Deo, continebantur,

(*) V. E. Vacherot, *Théorie des premiers principes selon Aristote*, Caen. 1836. (†) Aristot. *de mundo*. c. 6. Cff. quae hac de re disputavi *Init. Phil. Pl.* Vol. II. P. 3. p. 83.

complecteretur doctrinas gravissimas, a posteris fere summo studio tractatas elaboratasque, ontologiam, psychologiam, theologiam, cosmologiam.

Quantum his omnibus gravissimisque moliendis discesserit a Platone Aristoteles, videmus. Illud vero non praetermittendum, abesse multum, ut ipse, quasi esset reapse talis, qualem informavit, sapiens, *tradere* doctrinam illam, omnium, quae fingi possunt, doctrinarum principem ac summam, conatus fuerit. Methodum ille tractandae metaphycicae docuit, non metaphysicam ipsam; quae optimorum quorumque recentiore aevo metaphysicorum, ipsius adeo Kantii prudentia modestiaque fuit. Caeterum magnum fuisse et praeclarum philosophi consilium, quum talem doctrinam supremam, qualem mente conceperat, cum adumbrare, tum methodo instruere niteretur, nemo est, qui dubitet. Cavit ita praecipue, ne, assiduo illo rerum naturalium studio, tum ipse tum discipuli in materialismum et atheismum delaberentur. Nam si qua alia ratione, hac in primis firma ponere et psychologiae et theologiae fundamenta conatus est. Sed logicam idem et mathematicam demonstrandi methodum ad sublimia tractanda metaphysicae argumenta, ad ipsam explicandam cum rerum, tum animi, tum mundi, tum Dei adeo naturam adhibendam esse ratus est Aristoteles: id vero quam temere statuerit, Wolfii

nobis tentamina, qui reapse id facere superiore saeculo sustinuit, demonstrant.

JUDICIUM
DE PHILOSOPHIA ARISTOTELIS.

Explevit Aristoteles magnam partem, uti ex his disquisitionibus nostris universis patet, quae in Platonis philosophia desideravimus; veruntamen desideramus rursus in ejus philosophia, quae nobis Plato tradidit. Sunt autem illa facile omnium gravissima. Nam in physicis ille rebus praecipue versatus, indeque a puero orsus, mundum moralem nec ipse cognoscere interius, nec nobis patefacere potuit: obscuravit eum adeo, quam illustravit, magis. Ad hunc enim cognoscendum recte, incipiendum a Socratico *cognosce temet ipsum* erat; ille vero, ut corpus hominis prius, quam animum, exploraverat, atque ita continuo et per totam deinceps vitam in physicarum externarumque rerum studia incubuerat, non interiorem, non moralem, sed quendam supra naturam mundum explicare ingressus est. Quod quam male ei cederet, eventus docuit. *Aristoteles*, ait Cicero, *longe omnibus (Platonem semper excipio) praestans et ingenio, et diligentia, quum quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam*

quandam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim et providere, et discere, et docere, et invenire aliquid; et tam multa alia; meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, laetari: haec et similia eorum in horum quatuor generum inesse nullo putat. Quintum genus adhibet, vacans nomine; et sic ipsum animum ἐντελέχειαν appellat novo nomine, quasi quandam continuatam motionem et perennem (*). Tantum aberat igitur, ut explorato recte animo hominis, inde morum disciplinam duceret, ut ipsam animi notionem ignoto nomine obscuraret. Nec vero mirum. Nam cum eadem ratione, qua rerum physicarum caussas, aquam, aërem, terram, ignem, exploraverat, invenire rerum moralium caussas studeret, fingere nescio quid, sed quod ὑπὲρ τὰ φυσικά esset, et *continuata quadam motione et perenni* contineretur, debuit. Quodsi quaerimus, quae hinc fluxerit ethica, quae theologia, scilicet pari ille modo moralem, ac physicum hominem observavit.

De virtutibus agens, non duxit illas, ut Plato, ex animi natura, e studio pulcri, boni, justi, divini, naturâ nobis insito, sed, his praetermissis, attendit observavitque homines, ut vivendo agendoque cernuntur, eoque hac observandi

(*) *Tusc.* I. 10.

diligentia pervenit, ut virtutes esse diceret inter duo extrema medias. Elegans sane animadversio; et omnino, quae ipse de variis hominum aetatibus, quae de characteribus hominum discipulus ejus Theophrastus scripsit, referunt illa diligentissimum et hominum et rerum humanarum observatorem, philosophum vero, qui ipsum penitus cognoscere *hominem* studeat, non referunt. Accidit autem ita, ut, quae cum ethica proxime conjunctae sunt, doctrinae, uti politicae ac theologicae, recte ab Aristotele et discernerentur et optima methodo instruerentur, tum etiam illustrarentur egregie acutissimis quibusque de hominibus observationibus, sed ipsae essent principiis destitutae, quibus solis vere prodesse hominum generi deberent. Politica apud eum ad recte prudenterque regendum, non ad ipsas intus emendandas civitates pertinebat; theologia vero, ut ad res physicas referebatur earumque auctorem spectabat maxime, sublimis erat; imo tota erat supra captum hominis; ad hominem vero perficiendum, ad verissimam provehendam hominis felicitatem non valebat. Non constat adeo, certe dubitatum a multis est, num animum Aristoteles immortalem esse existimaverit (*).

(*) Wyttenb. *de immort. animi*. Opusc. II. p. 601. Cf. Rin. Odoni, *ove si demonstra, si l'anima secundo Aristotele e mortale o immortale*. Ven. 1557.

Quod autem dixi, non hominem ab Aristotele recte exploratum esse, haud ita accipiendum, quasi mentis humanae cognitionem neglexerit. Quo id studio egerit, quantaque diligentia, opera testantur philosophi, praesertim quod de animo scripsit, tum omnium maxime Organon. Nec fieri sane potuit, ut, cum nil non in rerum natura quam accuratissime investigaret, mentis humanae facultates praetermitteret. Sed non apta id fecit ratione. *Intellectum* hominis, non *sensum internum animumque* spectavit, quo fiebat, ut ipse in exquirendo *observaret* magis, quam *sentiret*. Observavit mentem humanam, sentire vero atque intimo percipere animo, quid homini inesset, non studuit. *Corticem*, ut ita dicam, humanae indolis, non *nucleum* attendit. Nam sic profecto se res habet: notiones mentis naturales, quas categorias vocavit, discrevit admirabiliter, subtiliterque explicuit; animi vero sensus interiores, sensum in primis studiumque pulcri, boni, divini, non animadvertit: latuisse eum adeo videtur, quod Plato celebrat, ὄργανον illud τῆς ψυχῆς, *quod sexcentis praestat oculis, quippe quo uno veritas cernitur.* Illuc certe non convertit in disquirendo mentis aciem, quo unice respicere apud Platonem Socrates Glauconem jubet. Sed *illuc*, ait, *o Glauco, spectare oportet — Quo tandem? — Ad ipsam, quae animo inest, phi-*

losophiam: reputandum, quae expetat naturâ animus, quaeque amplecti aveat; quippe ipse cum divino, cum immortali, cum aeterno cognatus (*). Hominem omnino Aristoteles, ut naturam *cogitantem* et *ratiocinantem*, observavit, idque fecit et novo et ipsi prorsus proprio modo, nec dici potest, quantum inde emolumenti philosophia ceperit; idem vero, qualis esset, tanquam *moralis natura*, homo, quantumque ita ceteris animantibus praestaret, id non sensit, non percepit interius, certe non eâ, qua par erat, ratione sive attendit, sive exploravit, sive tradidit.

Accedebat aliud longeque gravius ipsius philosophiae detrimentum. Nam cum primam illam, uniceque sapienti destinatam, commendasset philosophiam, eamque assequi deinde principes quique philosophi niterentur, factum est, ut Socratica illa et Platonica methodus, qua ex ipso hominis animo omnis ethica, omnis politica, omnis theologia duceretur, si non rejiceretur tota, certe minus coleretur. Id autem verissimum uberrimumque philosophiae fructum intercepit. Nam, quae hominum fere temeritas atque superbia est, e tripode ita statuere ac pronunciare de rebus divinis atque humanis, secundum metaphysicae effata,

(*) Plato *de Rep.* X, p. 611 D.

maluerunt philosophi, quam in semet ipsos atque humanam naturam inquirere. Hoc autem neglecto, esse desiit philosophia παιδεία, institutio hominis, magistra vitae, artium omnium laudatarum ac disciplinarum genetrix; contra, inanium esse contentionum schola coepit, generique hominum nocuit magis, quam profuit.

Sed vitium Aristotelis in illa philosophandi ratione nondum attigi, quod sane omnium gravissimum ipsique philosophiae non solum noxium, sed perniciosum adeo putandum est. Tendit illa ratio ad materialismum. Quicunque enim in rebus externis haeret, non interiorem mundum, semet ipso et homine cognoscendo, pervestigat, facile is cum animum hominis, ut dixerunt posteri, *tabulam esse rasam* existimabit, tum vero etiam, quae post Aristotelem et recentiore praesertim aetate invaluit sententia, sensibus externis omnia, interno et morali sensui nihil tribuet. Hinc *sensualismus*, qui vulgo dictus est, quo assimilatur homo bestiis, quasi ille, quamvis natura perfectior, tamen pari, atque istae, nasceretur, pari viveret, pari moreretur modo: consentanea philosophandi ratio illis philosophis, qui nil in semet ipsis divini sive sentientes sive animadvertentes, toti in externis rebus observandis versantur. Aristoteles, quominus istuc descenderet humilitatis, quominus sic et semet ipsum et philosophiam abjiceret,

quominus vitam plane homini, quae sola vitalis est, adimeret, studio debuit metaphysicae suae, quo se *supra naturam* evehere conabatur, et Deum agnoscebat rerum omnium caussam supremam: veruntamen, quidquid mente concepit ingenioque finxit, quidquid persuadere sibi aliisque argumentando studuit, *supra naturam* quaesivit frustra, quod invenire in *semet ipso* unice poterat. Quapropter viri philosophia, qualiscunque tandem et quamvis sublimis, tamen ad excitandum in homine, quod magnum, quod excellens, quod divinum est, hominemque ad Dei similitudinem evehit, nunquam valuit.

Dicta haec, non in Aristotelem, sed in philosophandi, quam induxit, rationem sunto. Nam fuit ille, quamcunque tandem ad philosophandum viam ingressus est, fuit Platonis discipulus. A tenera inde aetate imbutus a divino philosopho optimis quibusque est de rebus divinis atque humanis placitis. Exstant haec adeo placita magnam partem in scriptis ejus, et vero sic exstant, ut legentibus nobis illa auctor subinde Socraticus plane esse et Platonicus philosophus videatur. Credibile item est, si dialogis philosophi et oratoriis operibus tempus pepercisset, pariter nos de ipso Aristotele judicaturos fuisse, ac Cicero pronunciavit, ubi divinam ejus ad philosophandum indolem praedicat. quodsi virum, ut fecimus, in ipsa philosophandi,

quam secutus est, ratione consideramus, vel sic non minus nobis vitiis fuisse insignis, quam virtutibus videbitur; statuamus vero simul necesse erit, tam vitia philosophi, quam virtutes, illustria fuisse, eundemque utrisque, quod fere animadvertere in magnis viris licet, aequalibus excelluisse.

ARISTOTELEAE PHILOSOPHIAE CHARACTERISMUS.

Quodsi jam tandem characterem quaerimus philosophiae Aristoteleae, paucis adumbrandus videtur. Nam, ut Plato hominem, ita Aristoteles universum spectavit maxime; quo factum, ut Aristoteleae doctrinae varietas sit infinita fere. Plato enim quum ex homine principia duceret, e quibus artium omnium disciplinarumque cum natura explicaretur, tum ratio indicaretur, tum etiam ostenderetur finis et propositum: idque ageret assiduo studio, quo certius et hominis institutioni et rerum publicarum saluti prospiceretur; principia illa pauca quaedam erant: referebantur unice ad pulcrum, ad bonum, ad justum, ad sanctum divinumque: scribendoque philosophus, quaecunque tractabat argumenta, semper eadem illa, τὰ πολυθρύλλητα, ut ipse ait, commemora-

bat. Sed Aristoteles, qui, misso homine, continuo universum, omnem hunc, qua late patet, spectabilem mundum attendit, quidni hic infinitam rerum varietatem disquisitionibus suis complexus est? Accedebat ad vitae usum utilitas summa. Nam hac in primis ratione inventa parta sunt, quibus vita hominum cum suavior, tum tutior redderetur. Veruntamen externa haec erant omnia: nec vero proficere hinc ille ad verissimam hominis felicitatem, quam unice spectaverat Plato, e verissimis principiis ducendam, verissimaque methodo explicandam et stabiliendam, ullo modo potuit. Valebat illuc philosophia Platonis, quae eadem erat et veritatis disciplina et hominis παιδεία: Aristotelis philosophia, quamvis sublimis, et ipsam adeo naturam transscendens, non valuit. Ergo, si metaphysicam exceperis, utilior homini ad *vivendum* Aristotelis disciplina fuit: disciplina vero Platonis ad *recte vivendum* pertinuit magis. Haec vitae morumque principia, illa doctrinarum, ad omnem vitam fructuosarum, normam continet.

PHILOSOPHIAE
PLATONICAE ET ARISTOTELICAE
DISCRIMEN.

Videmus, quod ab initio dixi, non persecutum Aristotelem esse, quae sive Socrates sive Plato inchoaverat, sed aliam, planeque novam et ipsum iniisse et philosophis commonstrasse philosophandi viam. Necdum tamen sufficiunt haec nobis ad discernendam a se invicem accurate Platonis atque Aristotelis philosophiam: minus etiam ad utramque, quod caput est disquisitionum nostrarum, conciliandam mutuo et conjungendam. Ut Socratem cognoscere e sectis, quae ex ipsius disciplina fluxerunt, studuimus, ita, age, in universâ historiâ philosophiae, quae a Platone inde et Aristotele ad nostra usque tempora processit, tanquam in majore amplioreque spatio, ipsos hos philosophos eorumque diversam philosophandi rationem consideremus. Revixerunt scilicet in illâ identidem.

PLATONICAE
PHILOSOPHIAE HISTORIA.

Ut abusi posteri ad dubitandum sunt philosophiâ Socratis, ita, iidem, Alexandriae in primis,

Platonica subinde scripta ad probandam mysticam suam et fanaticam in philosophando rationem, adhibuerunt. Quod fieri non potuisset, nisi Plato ipse quodammodo, non quidem re, sed tamen specie, in hanc partem inclinasset. Sed tempora spectemus maxime, quibus in gentibus eluxit denuo Platonis philosophia. Apud Romanos eam instauravit M. Tullius Cicero, apud Italos saec. XV. cum Cosmus Mediceus, tum caeteri fere omnes, qui in illustri hac Mediceorum gente renovare bonas artes studuerunt, praesertim Laurentius Mediceus; tum vero superiori item aevo revixit Plato in scriptis et philosophia principum philosophorum, praesertim Germanicorum. Attendamus, quid instauratores illi philosophiae Platonicae in primis inde perceperint: e fructibus his denuo auctorem cognoscemus.

Et Cicero quidem e scriptis continuo Platonis sui formam duxit philosophandi. Profecit ab Aris totele, ut non semel fatetur, sed et ipse Aristoteles Platonem habuerat, quem in scribendo imitaretur, et Cicero in dialogis subinde insignem in modum Platonis rationem secutus est, quod in legendis praeclaris ejus scriptis de *Oratore*, de *Republica*, de *Legibus* agnoscimus. *Cato* Ciceronis nobis totum proöemium refert *Politiae* Platonicae. Quid? quod in *Legibus* Cicero minimum adeo exprimere Platonis conatus est, exem-

plo ex hujus *Legibus*, sed longe maxime ex ejusdem *Phaedro* ducto? Nec tantum formam Platoni Cicero debuit, sed et materiam, ut ex ipsis dialogorum argumentis ac titulis intelligitur. Nec mirum. Nullus unquam philosophus tanto scriptorem philosophumve studio et ardore, imo amore prosecutus est, quanto Platonem Cicero; principem eum omnium philosophorum habet: philosophorum adeo deum appellat. Quo factum in primis videtur, ut Italis, renascentium literarum tempore, quum Ciceronem praeferrent scriptoribus omnibus et philosophis, hujus auctoritate potissimum Platonis exquirerent philosophiam. Cernimus in hisce ipsius praestantiam Platonis. Sic enim ille per Ciceronem cum Romanis tum gentibus etiam recentioribus, ad studia haec naviter capessenda et persequenda, auctor fuit princeps. Quodsi apud eosdem deinde Romanos, Trajani ac M. Aurelii Antonini tempore, excitatus denuo est philosophiae ardor, ut scripta testantur Plutarchi et Luciani, valuitque adeo philosophia ad imperium Romanum recte regendum, Stoicorum in his agnoscimus, sed maxime Platonis placita; cujus certatim ab omnibus celebrabatur sententia seu potius vaticinium: tum demum finem civitatibus malorum futurum, si vel philosophi eas regerent, vel earum rectores philosophi essent. Patuit ita dilucide utraque aetate, quanta reapse

philosophiae Platonicae ad literas colendas recte, tum etiam ad recte instituendum hominem, recteque gubernanda imperia vis et efficacitas esset. Sed de Italis videamus.

Cicero in Tusculano Academiam condidit, aedificium amplum, artium Graecarum exquisitissimis monumentis ornatum, in quo disserere cum amicis de literis et philosophia solebat. Simile quid Itali Florentiae Saec. XV. atque ad majorem etiam aequalium posterorumque fructum, instituerunt (*). Vix habuit Mediceus princeps, quod majore et studio et ardore prosequeretur, quam Sodalitium illud Platonicum, quod Platonicam appellare Academiam solebat. Ipso, qui putabatur, Platonis die natali, qui esse ferebatur dies septimus m. Novembris, conveniebant sodales undique in magnificentissimam Mediceorum villam, tum Florentiam: festumque utroque loco suavissimis conviviis et sermonibus celebrabant, cum in Platonis, tum maxime in philosophiae honorem. Platonem, fateor, non intelligebant satis: miscebant, pro temporum illorum ratione, cum placitis antiquis et Platonicis partim Neo-platonicorum, partim Christianorum philosophiam. Veruntamen Italis placuisse tantopere tamque vehementer Platonem,

(*) V. Tiraboschi de hac aetate, in primis Pignotti, *Storia Toscana.* Vol. V. p. 345. Vol. VI. p. 228.

id probat, proprium hujus scriptis et philosophiae fuisse, ut ad artes literasque elegantius tractandas in primis essent et accommodata et efficacia: probat, uni antiquorum philosophorum maxime Platoni artium fuisse ac literarum, ut ita dicam, enthusiasmum, quo ut ipse fuisset ductus, ita imbueret inflammaretque posteros. Sed consideremus, quid Itali in philosophia Platonis admirati maxime fuerint indeque susceperint: item, quam vim haec Mediceorum Academia Platonica in Italorum, quin etiam Europaeorum studia habuerit. Hinc nobis cum virtutes philosophiae Platonicae insignes, tum etiam vitia patebunt manifesto.

Placuit Italis in Platone continuo, ut ante Ciceroni, cum elegantia philosophandi, tum dialogorum scriptio: utramque studuerunt imitari. Sed magis etiam illos, quam Ciceronem, amoris in ejus scriptis doctrina cepit. Accommodarunt eam scilicet honestiori, qui in moribus ipsorum dominabatur, amori, tum vero etiam sublimibus de eo religionis Christianae effatis. Itaque celebratum in eorum carminibus scriptisque atque expressum cernimus puriorem amorem illum, qui vix quidquam habens cum corpore ac voluptatibus commune, ad honestatem, ad virtutem, ad praeclara omnia ac divina hominem perducit (*). Appel-

---

(*) V. Ficino, *supra lo Amore over' Convito di Platone.* Fir. 1544.

larunt autem eum, de Platonis nomine, *amorem Platonicum:* quae vox hanc habuit deinde per universam Europam auctoritatem, ut perfectissimus quisque et divinissimus amor, hoc ipso nomine, amor Platonicus vocaretur. Fuerunt, qui reprehenderent eum, tanquam puriorem divinioremque, quam qui cadere in homines, quales nos sumus, posset; et patet hinc nobis, Platonem, ut in caeteris omnibus, ita hac quoque in re, non satis hominem, qualis esset, attendisse, sed finxisse subinde, qualem ipsi placeret, naturam humanam. Veruntamen hoc et Itali, et Europaei deinde omnes Platonicae debuerunt philosophiae, ut a vulgari amore *coelestem* distinguerent, hunc autem et moribus suis excolendis et vero etiam explicandis religionis nostrae effatis, ad summum virtutis verissimaeque sanctitatis fructum, adhiberent. Accedunt alia, quae Platoni debeamus maxime. Vim enim ille non minus magnam cum in artes Italorum, tum universe in gentium Europaearum philosophiam habuit. Non est, si ab amore discesseris, sublimior in Platonis doctrina locus illo, qui ad ideas refertur. Pauci omni tempore fuerunt, qui illum sic explicarent, sic artibus literisque tractandis adhiberent, ut Ciceronem fecisse constat. Sed ut Itali inde, ita caeteri quoque Europaei, in artibus literisque tractandis, ad *idealium* doctrinam pervenerunt,

quae vox item ad Platonis exemplum in omni artium historia auctoritatem habuit maximam. Quod autem philosophiam attinet recentiorum gentium, abusi, fateor, his etiam placitis sublimibus philosophi sunt, ut philosophando ad nescio quem *idealismum* pervenirent, probaruntque iidem, perducere illuc etiam philosophiam Platonis posse. Sed qui ceperunt recte Platonis de ideis sententiam, contulerunt hi eam certatim ad philosophiam cum veri, tum in primis boni justique et explicandam et vero fulciendam. Quod autem dixi, spirare in Platonis doctrina purioris religionis studium, nihil est, quod philosophiae historia comprobet magis. Acerrimi quique rei Christianae vindices *προπαιδείαν* eam habuerunt religionis verissimae.

Hos Itali, hos Europaei deinceps populi e Platonis philosophiâ fructus perceperunt: unde, qualis illa naturâ sit, assequimur facile. Idem vel maxime superiore patuit saeculo. Ineunte illo una per Germaniam dominabatur scholastica Wolfii disciplina. Ut vero ex his angustiis se philosophia expediret, ut in luce hominum versaretur, ut ad artes doctrinasque recte colendas invalesceret, effecit industria in primis Mendelsohni, Lessingii, Sulzeri, Garvii, Jacobi, Fr. Hemsterhusii. Profecerunt autem hi universi e fonte Platonis. Hemsterhusius adeo Platonem cum phi-

losophando tum dialogis scribendis sic retulit, ut merito a Francis et Germanis Batavorum Plato dictus sit. Et sane, si qua philosophia scholae umbram refugit, vereque prodesse hominibus potest, uni id maxime Platonicae tribuendum est. Sed redeamus, unde orsi sumus, ad celeberrimam illam Mediceorum Academiam Platonicam. Operae pretium est attendere, quam haec vim ad excolendos Italos populosque Europaeos habuerit.

Fuit haec prima in Europa proprie sic dicta Academia, i. e. sodalitium, sive societas artibus literisque colendis destinata, eademque innumerabilium deinceps fuit similium Academiarum mater. Valuit post Laurentium Mediceum, sub auspiciis Rucellai, ad recte constituendam linguam Italicam: quod similiter saec. XVII ad suam constituendam linguam factitarunt Francici Academici: valuit adeo deinde ad doctrinas tractandas politicas et oeconomicas, tum illas etiam, quae non ita continuo e Platonis disciplina manarunt, ut historicas, antiquarias, physicas. Condita est, duobus saeculis post, Academia, *del Cimento* appellata, quae tota fuit naturae disquisitionibus destinata (*). Haud facile haec vaticinari Plato, quum in suâ philosopharetur Academiâ,

(*) V. Pignotti l. l.

potuit; sed nobis in his posteriorum saeculorum institutis ipsius agnoscere philosophiae Platonicae vim, ubertatem atque amplitudinem licet.

Juvabat hoc modo in historia philosophiae, tanquam in speculo, cernere cum Platonis, tum philosophiae, quam condidit, imaginem. Idem nunc speculum Aristotelem nobis atque Aristoteleam philosophiam repraesentet. Videbimus, non esse, unde clarius nobis pleniusque utriusque philosophiae discrimen appareat.

PHILOSOPHIAE ARISTOTELEAE

HISTORIA.

Ut artes literasque Europaeae gentes Platoni potissimum, ita Aristoteli doctrinas debuerunt. Illarum scilicet Plato apud Graecos, harum Aristoteles instaurator fuerat. Quodsi *Academiae* nostrae sive doctorum in Europa virorum societates Platonis in artes literasque merita retulerunt, pariter dominatum fere in *Universitatibus* Europaeis Aristotelis ingenium est. Sed haec ut intelligantur recte, res ab initio repetenda est.

Paucos habuit Aristoteles sequaces, qui, ut Theophrastus, propriam ipsi philosophandi rationem aemularentur. Prisci Peripatetici non magnopere fuerunt ab Academicis diversi: quamquam,

quod plane Aristoteleum erat, in doctrinas dividebant philosophiam. Rem Cicero diligentissime his verbis exposuit. » *Platonis auctoritate, qui varius et multiplex et copiosus fuit, una et consentiens duobus vocabulis philosophiae forma instituta est, Academicorum et Peripateticorum, qui rebus congruentes, nominibus differebant. Nam quum Speusippum, sororis filium, Plato philosophiae quasi heredem reliquisset; discipulos autem praestantissimos studio atque doctrinâ, Xenocratem Chalcedonium et Aristotelem Stagiritem; qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, qui disputabant inambulantes in Lyceo: illi autem, qui Platonis instituto in Academia, quod est alterum gymnasium, coetus erant et sermones habere soliti, e loci vocabulo nomen habuerunt. Sed utrique, Platonis ubertate completi, certam quandam disciplinae formulam composuerunt, et eam quidem plenam ac refertam: illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus et nulla affirmatione adhibita consuetudinem disserendi reliquerunt. Ita facta est, quod minime Socrates probabat, ars quaedam philosophiae, et rerum ordo et descriptio disciplinae, quae quidem erat primo duobus, ut dixi, nominibus una. Nihil enim inter Peripateticos et illam veterem Academiam differebat. Abundantia*

quadam ingenii praestabat, ut mihi videtur quidem, Aristoteles: sed idem fons erat utrisque, et eadem rerum expetendarum fugiendarumque partitio (*). In Stoicorum deinde atque Epicureorum placitis dominabatur Socratis Platonisque, seu potius Cynicorum et Cyrenaicorum ratio: veruntamen physicam iis cum Heracliti tum Democriti adjecerunt, primique fuerunt illi, qui universam philosophiam, dedita opera, doctrinae instar tractarent eamque in partes distributam cum ordinarent sedulo, tum componerent, facientes atque elaborantes, quae nos dicere *systemata* consuevimus. Sed, ecce! orti Macedonico aevo sunt, qui sive imitantes Aristotelem, sive sponte ejus vestigiis insistentes, mathematicas physicasque doctrinas Aristoteleo more persequerentur. Exstitit Euclides, qui mathematicorum omnis aevi inventa ad syllogisticae Aristoteleae normam demonstraret: inclaruit Hipparchus, qui tantos fecit in astronomia progressus, ut omnes superiores longo post se intervallo relinqueret: pariterque postea in re mechanica inventis admirabilibus excelluit Archimedes: tum vero naturam perscrutari diligenter, gentium civitatumque varia genera, varias formas, instituta varia explorare, maximeque historiae, qua late pa-

(*) *Acad.* 2. 1. C. 4.

tet, operam navare, haec vel singula vel universa praestantissimi quique philosophi aggressi summo studio sunt: in quibus omnibus propria nobis patet Aristotelis philosophandi ratio. Sic Graeci post Aristotelem. Nunc ad Romanos pergamus.

Jejuna apud eos ratio disserendi philosophandique primum obtinuit: quod ex opere *ad Herennium*, nec minus ex Ciceronis *de Inventione* libris patet: sed, ut monuimus, expedivit inde cum semet ipsum, tum cives suos Cicero, Platonis amore. Nam qui scripti ab eo postea sunt *de Oratore* dialogi, philosophiam produnt liberalem, artium omnium ingenuarum et disciplinarum studio commendatam, insignem disserendi scribendique dote: quam posteri aemulati certatim sunt. Sed apud eosdem Romanos, ut Cicero literas disciplinasque, ita Plinius deinde sub Imperatoribus doctrinas renovavit. Quod quanto fecerit studio, scripta testantur viri, praesertim *historia*, quam condidit, *naturalis*, tum exitus e vita comprobavit. Nos, fateor, in legendis tam hujus, quam Senecae aliorumque libris, Aristotelis desideramus in rebus perscrutandis solertiam ac felicitatem. Neque exstitit apud Romanos unquam sive Euclides aliquis, sive Hipparchus, sive Ptolemaeus, sive Archimedes, qui singuli quae inchoata ab Aristotele fuerant, novâ ip-

sisque propriâ ratione perficere sunt conati. Veruntamen quoscunque fecerint in rebus naturalibus progressus, hos pariter Aristoteleae debuerunt disciplinae.

Pariter orsi pariterque progressi sunt populi recentiores, quamquam hi naturâ ipsi suâ, ut videtur, ad Aristotelis magis, quam ad Platonis philosophiam inclinabant. Quo accidit, ut illum nos in rerum naturalium studiis longe longeque superaverimus: hunc assequi adeo in pulcri bonique philosophiâ tractandâ vix possimus. Ante conditam a Mediceis Platonicam Academiam, scholasticum philosophandi genus apud Italos caeterosque Europaeos populos obtinuerat fere: quod emendatum ab Abelardo ad ipsius Aristotelis exemplum est, ut melior induceretur certiorque dialecticae ratio: veruntamen, ut nomine, ita re scholasticum mansit, donec Graecis Latinisque literis renatis, excitatoque Ciceronis ac Platonis ardore, artium literarumque studio ad verissimum excoli humanitatis fructum coeperunt. Ortae igitur, ut vidimus, ubivis in Italia aliisque Europae partibus sunt philosophorum cultiorumque hominum societates, quae ad provehenda illa studia valuerunt mirifice.

Interea vero jacebant doctrinae, adhibebantur adeo ad alendam superstitionem: quod patuit in alchymiae, astrologiae, cabbalisticae similiumque

ineptiarum studiis. Quo magis desiderabatur tandem, qui alio converteret doctorum virorum mentem, ipseque adeo, restituta ad bene judicandum dialectica, physicarum esset doctrinarum instaurator. Is fuit, ut notum est omnibus, secundo post Mediceos saeculo, Baco Verulamius; sed, quod nobis animadvertendum hic potissimum est, idem Europaeis gentibus id praestitit, quod praestiterat Graecis olim Aristoteles. Nam fuit is similiter apud hos cum *naturae observator*, tum *doctrinarum instaurator*, tum etiam *novae dialecticae*, *novae* certe *methodi* ad res exquirendas auctor. Hujus sane quo diligentius et scripta legimus et consilium attendimus omnis commutandae renovandaeque doctrinae, eo magis in eo cum Aristotelis ingenium, tum propriam Aristoteleae philosophiae rationem agnoscemus. Scriptum ab eo opus est, hoc ipso nomine *Instauratio magna* appellatum, quo, Aristotelis plane instar, cum *dignitatem* et *praestantiam scientiarum* propugnavit, tum novum in lucem edidit *Organum:* quamquam hoc scribendo naturae observandae methodum, non ratiocinandi, ut ille, artem tradere studuit; quibus et *Sylvam sylvarum* adjecit, naturae disquisitiones gravissimas continentem, et *Sermones fideles*, haud dissimiles, ut videntur, si consilium spectes auctoris, exotericis Aristotelis scriptis. Fuit omnino Baco, ut dictus habitusque ab

omnibus est, recentiorum gentium Aristoteles: imo vero praestitit antiquo Aristoteli: longo hunc post se in physicis tractandis intervallo reliquit, ipse adeo despicere Stagiritam solebat; quo magis etiam, quid spectaverit antiquus ille, quo contenderit maxime, quamvis id assequi plane non potuerit, hinc nobis licet perspicere. Nec vero Aristotelis solummodo, sed aevi etiam, quo vixit, cognoscendi caussa attendendus nobis noster hicce celeberrimus doctrinarum instaurator est. Non fecit Baco, quod deinde ad naturam explicandam cum Cartesius, tum Galileus, tum vero Newtonus fecit. His ipsis sua sunt inventa integra tribuenda. Sed viam ille monstravit omnibus, qui tot ac tanta peragere sustinerent. Sic Aristoteles antiquitus. Dux ille sua aetate illis fuerat, qui eodem contenderent, Euclidi, Archimedi, Hipparcho, Ptolemaeo: non immortalium inventorum, quae ab his in lucem sunt edita, auctor habendus. Caeterum quo praeclarius et Baco et qui ipsum secuti sunt, praesertim Newtonus, de universi mundi cognitione meriti sunt, eo magis admirari Aristotelem decet, qui primus in doctrinarum historia, ad illa perficienda, methodum discernendi, distribuendi, inveniendi docuerit.

Sed Aristoteles antiquitus ut naturae observator doctrinarumque auctor fuit, ita primus, ut vidimus, metaphysicam induxit: exstitit autem recentiore

aevo, qui pariter id ageret perficeretque, Renatus Cartesius. Quodsi Aristoteleae illius metaphysicae ambitum, quoque maxime valeret, perspicere cupimus, respiciamus Cartesianae doctrinae cum rationem, tum effectum. Nam Aristoteles metaphysicam descripserat in opere de *prima philosophia*, non tractaverat, non caeteris doctrinis omnibus adhibuerat, non ipse tractanda illa ad rerum omnium scientiam pervenire contenderat. Id demum Cartesius fecit, quem secuti ad Kantium usque primarii quique philosophi sunt. Simillima is ratione cum concepit mente *primam*, quam ipse pariter hoc verbo vocat, *philosophiam* (*), tum vero hanc sive metaphysicam sive hyperphysicam tractavit, geometrarum, ipsa Euclidis methodo, elaboravit atque perfecit (†): quam saeculo post Wolfius ad omnes pariter tractandas doctrinas adhibuit. Arduum sane opus: perutile ad argumentandum demonstrandique facultatem in philosophis exercitandam, ad emendandam scholasticam illius aetatis theologiam omnemque illam barbariem pellendam efficax; sed idem, ut antea, Alexandrino aevo, germanae philosophiae noxium, quin etiam perniciosum. Nam ut scholis, non vitae hominum ac moribus erat apta, ita tandem in Wolfii institutione scholastica facta tota est.

(*) *Médit.* Préf. p. 226 Ed. Cus. (†) *Disc. sur la méth.* p. 142.

Excepit superiore saeculo instaurata post Wolfium Socraticae Platonicaeque philosophiae studia Kantii metaphysica. Nam Kantius, labefactatis doctrinae Cartesianae fundamentis, novam jussit philosophos metaphysicam condere, idemque vindicare strenue hominis moralem libertatem nisus est. Quamobrem Platonem non minus, quam Aristotelem ducem secutus est, ut ex idearum doctrina, quam restituit quodammodo, patet (*). Sed criticae philosophi disquisitiones de purae mentis formis, de *tempore*, de *spatio*, in primis de categoriis, de *qualitate*, *quantitate*, *relatione*, *modalitate*, retulerunt hae prorsus Aristotelis philosophiam et vero sic retulerunt, ut de communi fere philosophantium sententia *Germanorum Aristoteles* habitus sit.

Spectandam igitur nobis recentior aetas philosophiam Aristotelis ferme universam praebet, ut ad naturae observationem et doctrinarum studia aptissimam efficacissimamque, sed gratiâ, sed humanitate, sed interiore animi humani perquisitione, ac moralis disciplinae ubertate et gravitate destitutam. Quid dicam de superbia metaphysicorum, qua talem tantamque tractandam doctrinam suscipiebant facillime? In quamplurimos recentioris aevi metaphysicos quadrat nobilissimum illud Baconis de

(*) Dixi hac de re *Init. ph. Pl.* Vol. II. P. 3. pag. 39.

Aristotele dictum: *Aristoteles, more Ottomannorum, regnare se haud tuto posse putavit, nisi fratres suos omnes contrucidasset* (*).

Sed alio item in historia philosophiae, ad recte judicandum de Aristotele, mentem traducamus. Habemus scilicet instituta, quae item nobis Aristotelis, ut academiae nostrae Platonis ingenium referunt: *universitates* dico nostras, minime sane, si Aristoteleam rationem philosophiae cognoscere totam velimus, negligendas.

Ut artibus literisque humanioribus colendis academiae, ita tractandis doctrinis institutae in Europa universitates sunt. Conditae jam mature sunt, eadem, qua Abelardus vixit, aetate, Saec. XII, primum in Italia Salernitana et Bononiensis, tum in Francia Parisina, quarum illae medicinae et jurisprudentiae destinatae sunt, haec theologiam spectavit. Non singuli in illis docuerunt celeberrimi quique philosophi; alieni adeo multi ab his muneribus fuerunt, ut Baco, Gassendi, Lockius, Leibnitius; sed informati ferme omnes his scholis sunt, qui doctrina et eruditione eminuerunt, tum placitis eorum inventisque celebratissimis et dijudicandis et propagandis universitates inservierunt. Tum etiam ex iisdem prodierunt, qui doctrinas quique suas non solum proveherent,

(*) *De Augm. Scient.* III. 4. Works Vol. VII. p. 101.

sed etiam ad summum gentium universaeque societatis commodum factitarent. His Itali, his Franci, his Angli, his Germani, his Batavi, his nullae non gentes Europaeae cultiores cum physicos suos et medicos, tum jurisconsultos ac politicos, tum vero cultissimos quosque religionis antistites debuerunt. Nec mirum profecto; nam spectabat doctrina illa res omnium gravissimas, *universum*, *civitatem*, *hominem*. Harum vero omnium recte trantandarum si auctorem quaeras, Aristoteles fuit, princeps in universo genere humano doctrinarum instaurator.

Et sic quidem nos e scriptis non solum ac vita rebusque gestis Platonis ac Aristotelis, sed etiam ex universa historia philosophiae, in qua lucet utriusque ingenium, maximos hos cognoscere, imo dignoscere antiquitatis philosophos studuimus. Quae ratio, quamvis nova fortasse, necdum usitata philosophiae interpretibus videatur, hic nobis in primis usurpanda erat. Nam, ut conciliemus aliquando recte et conjungamus Platonicam et Aristoteleam philosophiam, quod omnium in his maxime spectamus, nulla non ratione distinguenda altera ab altera videbatur. Huc igitur nunc tandem procedamus.

PHILOSOPHIAE

PLATONICAE ET ARISTOTELICAE

CONJUNCTIO.

Difficile hoc in primis argumentum esse, philosophiae historia demonstravit. Nam de conciliandis secum invicem Platone et Aristotele nullâ non aetate, apud ipsos adeo antiquitus Graecos, quum eclectica invaluisset philosophia, sed praesertim apud recentiores gentes, gravissimae fuerunt philosophorum contentiones. Valuerunt hae autem magis ad inpediendam obscurandamque, quam ad explicandam utriusque philosophiam. Cujus rei si caussas quaerimus, princeps omnium fuisse haec videtur, quod nos Europaei, ut jam aliquoties significavi, naturâ ingenioque magis Aristotelici, quam Platonici sumus; quamobrem, ut Aristotelem amplectimur facile, ita assequi Platonem eumque recte cum aemulo comparare, summae nobis difficultatis est. Accessit hominum vitium, a quo non magis cavere docti, quam indocti, solent, ut commiscerent commiscendoque perturbarent, quae primum quam diligentissime discernere, tum vero tandem con-

jungere debuerunt. Rem paullo distinctius explicemus.

Philosophia Platonica nostrae non convenit philosophandi rationi. Non scribimus nos ut Plato ac Socratici dialogos, sed Aristotelis instar disquisitiones et libros scribimus. Quodsi id Itali subinde aliique Europaei tentarunt, formâ illi dialogorum veluti investierunt placita ac decreta sua, non ipsi, ut Plato antiquitus, ad inquirendum inveniendumque hanc formam usurparunt. Omnino synthetica magis, quam analytica scribendi nostra ratio est. Unde difficillima nobis res est, recte intelligere Platonem: et fateor, cum primum hoc stadium ingrederer, legisse me lubenter et magnâ adeo voluptate Platonis dialogos, sed non intellexisse satis. Tum eos demum intelligere recteque aestimare coepi, postquam saepius eorum repetita lectione, in ipsam me insinuare auctoris mentem scribendique et philosophandi rationem didiceram. Id autem qui neglexerunt, quidni perperam judicare de scriptis ipsâque philosophiâ Platonis debuerunt? Porro *doctrinas* nos amamus: sic autem amamus, ut, quidquid excolimus diligentius, id esse doctrinam putemus: artes adeo, quoad ejus fieri potest, doctrinarum instar tractare solemus. Quo fit ut ipsam philosophiam vel constare doctrinis, vel esse scientiam existimemus. Vix suspicamur igitur, quid illud sit, quod antiqui dixerunt,

philosophiam esse *studium sapientiae*, παιδείαν esse ad artes et doctrinas tractandas recte, esse eam omnino, purioris instar ac sublimioris religionis, *initiationem* quandam in antiquissimis sapientiae sacris. Ergo haec, quippe non intellecta, flocci facimus: *doctrinam* esse, sive scientiam, philosophiam contendimus atque asseveramus: a quo decreto quamvis abhorreat Plato, tamen totam Platonis philosophiam, tanquam unam doctrinarum, quae infinitae numero sunt, tractamus. Perversum in primis judicium: quo nil magis nos impedit, quominus intelligere suoque pretio aestimare et scripta et placita Platonis possimus. Tandem hac in re in primis Aristotelici sumus, ut sine metaphysica ullam vix esse philosophiam arbitremur. Quod ut nobis persuasimus, ita Platoni tribuere omnes, quas nos elaboramus, philosophiae partes, ipsam adeo metaphysicam, solemus. Quasi scilicet ille, ut fecit Aristoteles, primum res physicas indagasset, tum vero scientiam quandam, quae ὑπὲρ τὰ φυσικὰ esset, excogitasset. Caeterum, quod negligendum minime est, sic nos obtrudentes Platoni, quae aliorum sunt, suis ipsum placitis simul, quae quidem isti rationi non conveniunt, privamus: ut sunt, quae *amorem uranium*, quae *musicam sublimiorem*, quae *organum veri nobis inditum*, quae *disciplinarum studia ad veritatem assequendam*, quae *iter hominis ad vir-*

tutem et sapientiam, quae *hominis ad veritatem conversionem*, similia omnia, Platoni unice propria, spectant. Non est, mihi crede, perversior interpretandae philosophiae Platonicae ratio. Nam hac scilicet illa, suo destituta colore et habitu, alienum suscepit: factaque fere tota est, ut uno dicam verbo, Aristotelica. Quid, quaeso, magis valere ad penitus eam corrumpendam atque obscurandam potuit?

Aristotelis vero aliud fere apud nos longeque diversum negotium fuit. Nam quadrat plane in philosophandi rationem nostram illius philosophia. Haec demum est, haec una, loqui solemus, verissima philosophandi methodus. Unde explicandum, quod mirabile dictu est, ut, quamvis luce clariores sint Platonis in *Politia* de justitia et vita beata disquisitiones, recentiores tamen illas aegre ceperint, contra ipsam adeo Aristotelis metaphysicam intellexerint facile. Ergo sublatus in coelum a quam plurimis Aristoteles est, dictus fere habitusque per excellentiam *philosophus;* Plato vero, quippe non intellectus vulgo, a paucis cultus, qui et intelligerent ipsum et amarent, a caeteris spretus repudiatusque est. His igitur laborantes omni aevo praejudicatis opinionibus, iisque occaecati ferme, quo tandem modo nos unquam cum sanum proferre de Platone et Aristotele judicium potuimus, tum rationem in-

venire, qua utriusque philosophiam cum conjungeremus apte, tum conciliaremus?

Sed quo minus conjungi recte Plato et Aristoteles possent, factum maxime perversa illa philosophorum, quam diximus, commiscendi consuetudine est. Hac enim perturbata eum in modum omnia sunt, ut desperandum fere de conciliatione videretur. Interpretes scilicet utriusque philosophi non animadvertentes diligenter, quo cum Plato tum Aristoteles spectavisset, excitarunt fere ex utroque promiscue sive placita, sive dicta potius et verba, re quidem diversissima, sed tamen specie similia: quibus mixtis temperatisque, indeque confectâ nescio quâ doctrinâ, ecce! conjunxisse se Platonem et Aristotelem autumabant. Temere sane illi. Clauserant scilicet sibimet ipsi viam, quae ad recte conjungendam ducit, neglecto quippe necessario illo discernendi dignoscendique officio. Quo lubentius nos nunc, discretis datâ operâ a se invicem Platone et Aristotele, cum viam hanc recludere, tum procedere per eam ad utriusque conjunctionem aggredimur.

Animadvertendum equidem hoc continuo censeo, aliud esse, dissentientes *philosophos* conciliare secum, aliud, *philosophorum placita*, quamvis disparia, in concordiam harmoniamque redigere. Ipsi philosophi illi, Plato et Aristoteles, dum viverent, vereor, ut in gratiam consensumque mu-

tuum redire ullo modo potuerint. Fertur in Aristotelem dixisse Plato: *pullus est, qui, a matre lactatus ac nutritus, ut robore invaluit, in matrem recalcitrat* (*). Quod dictum, quamvis durum, non mirer equidem, si reapse exciderit magistro. Etenim in alia omnia discipulus abierat, idemque, ut nemo ignorat, eo erat ingenio, eo animi ardore, eo suae vindicandae caussae studio, ut, quod semel susceperat, persequeretur constanter. Id vero non poterat non Platoni vehementer displicere. Non est, quod singula, quae disjungere eorum animos debuerunt, commemorem. Mitto, Socratem unice hominem, Aristotelem contra rerum naturam indagasse maxime; mitto, quae artes ac disciplinas in primisque dialecticam spectabant, quas Aristoteles in vitae usum accommodare nitebatur unice, Plato vero ad alia omnia et majora, ad veri in primis sensum, qui in homine est, suscitandum alendumque destinaverat; mitto, quod gravius etiam erat, Aristotelem ex illâ, quam conscenderat, sublimi metaphysicae arce in magistri philosophiam, ut popularem quandam, despexisse. Illud commemoro, quod hac in caussa omnium erat praecipuum, Aristotelem eo pervenisse audaciae, ut idearum doctrinam, gravissimum illum et principem adeo in magistri philosophiâ locum, adori-

---

(*) V. Aelian. IV. 9. Cf. Aristocl. apud Euseb. *Praep. Evang.* XV. 2.

retur. Hoc vero quo tandem animo ferre ac tolerare Plato poterat? Ingratum id adeo prodere discipuli animum videbatur, qui eruditus ab ipso auctusque doctrinâ, nunc in magistrum quasi recalcitraret. Habebat vero contra discipulus, cur novum, quod instituerat, iter suo ipse marte et naviter persequeretur. Nam primum mundum moralem jam totum aperuisse Socrates et Plato videbantur: quidni nunc ipse physicum aperiret? Et vero a magistro cernendi jungendique artem acceperat, qua id pariter et posset et deberet institui. Deinde quemadmodum doceri ad acuendum ingenium arithmetica et geometria deberent, satis demonstraverat Plato: idem vero utramque male ad res divinas et humanas converterat. Numeris enim Platonis quid erat ineptius? Quidni igitur ipse easdem disciplinas ad recte tractandam mechanicam, astronomiam, ipsam adeo logicam usurparet? Porro philosophiam Plato recte praeceperat, institutionem esse hominis: veruntamen homo, ut semel erat institutus excultusque satis, progredi debere videbatur ad doctrinas dedita opera atque ad publicam salutem tractandas: Plato vero illuc non magnopere animum adverterat. Quidni igitur id ipse aggrederetur? Quidni, ut philosophiam magister tradiderat atque illustraverat, ita ipse doctrinas in luce poneret? Quod autem ad demonstrandum refutandumque potissimum adhi-

bebat dialecticam, illuc spectabat hocce, quo aptiore certioreque methodo tractarentur doctrinae: tum vero, sine syllogistica rite tractari doctrina illa princeps, prima philosophia, quae supra naturam esset, non posse videbatur. Caeterum, cum ad caussarum indagationem, cui totum se dederat, inutilis esset, quamvis videretur sublimis, idearum doctrina, hanc rejiciebat. Ut igitur habebat Plato, quod in discipulo reprehenderet aegerrimeque et vix toleraret, ita non deërat Aristoteli, cur, relictâ magistri disciplinâ, novam iniret ac sequeretur philosophandi rationem.

Ergo, quod ipsos hos attinet philosophos, non video, quemadmodum, hunc in modum dissentientes a se invicem, redigi in consensum potuissent. Sed nos placita utriusque diversamque philosophiam spectemus. Et sane, si hac aetate nostra, qua neutrarum esse partium studemus, missis philosophis ipsis, philosophandi eorum rationem spectamus, non est, credo, quod de conciliandis eorum doctrinis desperemus. Nam diversum eorum fuit, non contrarium, iter. Tetenderunt ambo, quamvis dispari via ac ratione, ad sapientiam. Conjunctio autem arctior tantum abest, ut similitudine contineatur, ut disparitatem admittat quandam, quin etiam postulet. Conjungi enim similia intime nolunt: apponuntur sibi invicem, adaptantur, non amplectuntur sese. Id ut fiat, diversae sint con-

ditionis necesse est, quo magis alterum habeat, quod alteri desit. Quod, ut in rebus omnibus, in hominibus maxime, qui arctissime conjunguntur, cernitur, ita pariter, ni fallor, in diversissimis hisce Platonis ac Aristotelis doctrinis obtinet. Nobis iccirco, quo facilius illae certiusque secum invicem, ad verissimum philosophiae emolumentum, conciliantur, haec porro de Platone atque Aristotele animadvertenda videntur.

Utrique philosopho ad plene tractandam philosophiam defuit multum, quod minus equidem ipsis, quam philosophandi, quam secuti sunt, rationi tribuendum puto. In pari enim studio uterque continuo alio adverterat mentem. Conversus Plato a Socrate erat ad semet ipsum et hominem cognoscendum: Aristoteles, patre usus medico et ipse a natura his studiis destinatus, illuc spectabat sponte. Fieri autem vix poterat, quin huc intensa omnis utriusque cogitandi observandique facultas, ad alia omnia hebesceret, certe debilitaretur. Praeclara Platonis sententia est: ὅτῳ γε εἰς ἕν τι αἱ ἐπιθυμίαι σφόδρα ῥέπουσιν, ἴσμέν που, ὅτι εἰς τἆλλα τούτῳ ἀσθενέστεραι, ὥσπερ ῥεῦμα ἐκεῖσε ἀποχετευόμενον (*). Itaque uterque philosophus ad unum illud, quod maxime spectabat, totus intentus, Plato ad mundum moralem, ad physicum mundum Aris-

(*) *De Republ.* VI. 485 D.

toteles, non solum aversus a caeteris omnibus erat, sed desiderabat adeo ille ad mundum physicum, hic ad moralem recte explorandum, facultatem idoneam. Non scripsit Plato, ut fecerunt Aristoteles et Theophrastus, historiam animalium, historiam plantarum, similia accuratissimae in rebus naturalibus indagationis opera: dicam ferme, non potuit haec scribere; sed contra, abreptus plane, tanquam flumine, suâ illâ philosophandi ratione, inepte in ipsam naturam hominem animumque humanum traduxit. Quod ex animâ mundi in Timaeo aliisque hujuscemodi placitis patet. Pariter Aristoteles. Ut mira facilitate et his de rebus philosophabatur, et totam rerum universitatem explorabat, ita haerebat, ubi de animo, de divina natura, omnino de rebus moralibus scribebat, idemque contra, suam illam naturae explorandae rationem ad hominem mundumque moralem explorandum traducens, de hisce rursus, ut vidimus, non optime merebatur.

Sed ad omnes pariter philosophiae partes explendas, alia item singulatim utrique philosopho defuerunt. Eminebant ambo omnibus facile, qui fuerunt, philosophis dialecticae facultate; sed Plato hanc disciplinam, ut facere instituerat Socrates, ad purgandum hominem vanis opinionibus, ad excitandum in animo optimarum rerum, in primis veritatis studium, ad ducendum a tenera inde aetate

hominem ad virtutem et justitiam, usurpaverat: Aristoteles vero, misso ferme homine, externo cognoscendo mundo doctrinisque, quae illuc referrentur, adhibebat dialecticam. Haec vero cum singula illi singulatim agerent, nec Plato naturalem potuit, nec Aristoteles moralem philosophiam, ea, qua par erat, excolendi disserendique diligentia tractare. Quae cum ita se haberent, quo tandem pacto uterque omnem complecti mente recteque provehere ac dilatare philosophiae ambitum potuit? Habebat autem uterque pariter, quo suas in philosophando partes admirabilem in modum ageret. Dubitarunt de Socrate antiqui, magisne fuisset εἰς τὸ προτρέπεσθαι, an εἰς τὸ προαγαγεῖν aptus; nobis de Platone et Aristotele, uter in philosophando excelluerit magis, non dubitandum videtur. Platonicae philosophiae ad excitandum in homine veritatis virtutisque amorem vis quaedam incredibilis et fere divina fuit: ad res cognoscendas recte ac dijudicandas, omninoque ad veritatem suis stabiliendam fundamentis strenueque et fortiter propugnandam ac vindicandam, nullius unquam philosophi disciplina, quam Aristotelis, valuit magis.

Haec igitur singula singulatim utrique defuerunt philosopho. Quodsi alter, ut vidimus, in eo excelluit maxime, in quo maxime haesit alter, cernimus animo sponte, quae sit utriusque philosophiae, Platonicae et Aristotelicae, recte conjungendae ratio:

cernimus, quae quantaque sit utriusque, recte conjunctae conciliataeque, praestantia. De utroque argumento agamus separatim.

PHILOSOPHIAE

PLATONICAE ET ARISTOTELICAE

RECTE CONJUNGENDAE RATIO.

Mascula est quaedam, ut ita dicam, philosophiae Aristoteleae dignitas et auctoritas. Subjicit sibi, quam exploret diligenter, universam rerum naturam. Nec vero idoneum desiderat, quo sibi patefaciat omnia, instrumentum, dialecticae methodum, quae cernendo jungendoque procedit. Distribuit item in classes suas artes omnes et doctrinas, quae dignae sapiente sunt, iisdemque tractandis rectam viam et rationem praecipit. Tum vero escendens ad fastigium suum, ad principem illam doctrinarum omnium, quae supra naturam est, hinc rerum omnium caussas, ipsum adeo, qualis sit, universi rectorem, mortales docet. Quo minus mirandum sane est, Germanicis eam gentibus commendasse sese potissimum, quae hac mascula fere fuerunt cogitandi ratiocinandique facultate. Veruntamen, ut magna haec sunt et praeclara, tamen, ut tempora nos docuerunt et res ipsa loquitur, non sufficiunt nobis. Non solum nos *ingenio*, ut ille ait, sed etiam

animo homines sumus: non satis mortalibus est, indagasse omnia et cognovisse: erudiendus homo a tenera inde aetate artibus est, musicâ, gymnasticâ, saltatione, poësi, tum literis humanioribus, tum vero disciplinis, quae veri in animo sensum excitent acuantque, arithmeticâ, geometriâ, dialecticâ. Nec vero negligendae disquisitiones interiores sunt de pulcro, de bono, de justo, de sancto divinoque, quibus ad bene vivendum beneque moriendum praeparemur. Haec autem studia quemadmodum sint recte atque ad summum humanitatis felicitatisque fructum instituenda atque excolenda, non naturae nos observatio docet, nec philosophia, quae huc spectat maxime, sed illa scilicet philosophia, quae tota ab omnis humanitatis indagatione profecta, una ad recte excolendum perficiendumque hominem aptissima est: qualem maxime Platonicam esse et omnes norunt et satis nobis superior disquisitio probavit. Ergo, ut prosit nobis utraque philosophandi norma, subjungenda Aristotelicae, seu potius praemittenda Platonica est. Quod ubi recte instituerimus, cavebimus sponte ab illa Aristotelis temeritate, qua supra naturam quaesivit, quod in ipso latet hominis animo.

Nam ducere omnino naturae studium ad Deum agnoscendum et cognoscendum potest. Quod et Socrates et Plato docuit, Aristoteles autem elegantissima comparatione illustravit. *Praeclare Aris-*

toteles, ait Cicero, *si essent, inquit, qui sub terra semper habitavissent bonis et illustribus domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram: accepissent autem fama et auditione, esse quoddam numen et vim deorum; deinde aliquo tempore, patefactis terrae faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent; quum repente terram et maria coelumque vidissent, nubium magnitudinem, ventorumque vim cognovissent, adspexissentque solem, ejusque tum magnitudinem pulcritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret, toto coelo luce diffusa: quum autem terras nox opacasset, tum coelum totum cernerent astris distinctum et ornatum, lunaeque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus et occasus atque in omni aeternitate ratos immutabilesque cursus: quae quum viderent, profecto et esse deos et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur* (*). Venusta haec sane est de Diis philosophandi ratio, nec tamen ad cognoscendam interius divinam naturam sufficit. Requi-

(*) Cic. *De Nat. Deor.* II. 37.

ritur, ut nosmet ipsos, ut hominem cognoscamus, quo rectius e studio nostro, ipsâ naturâ nobis insito, cum pulcri, tum boni, tum justi, tum maxime sancti divinique, qualis Deus sit, efficiamus, certe auguremur quodammodo. Quodsi, his perceptis interius, recte ad haec declaranda naturae contemplatione usi fuerimus, non erit sane, quod supra naturam, ut fecit Aristoteles (*), nescio quam naturam fingamus. Mundus Platonis νοητός, in quem nos evehit philosophus, ad res visibiles cognoscendas valet, non superat rerum naturam (†). Sed attendamus porro, quam vim haec ipsa Platonica philosophia ad recte tractandam Aristotelicam habeat.

Sterile negotium est, naturam indagare, in classes redigere doctrinas: ipsas etiam doctrinas apta methodo tractare, sterile adeo, caussas rerum cognoscere, nisi, quo haec spectent omnia, quidque inde hominum civitas emolumenti capiat, perspexerimus. Id autem ut non magnopere curavit Aristoteles, ita Plato omnium maxime philosophando spectavit. Tota huc pertinet princeps philosophi, quam rejecit Aristoteles, de ideis doctrina. Negabat, ullam esse ullius doctrinae sive praestantiam, sive utilitatem, nisi, qui colerent eam, idearum

---

(*) Cf. supra p. 166 et 167. (†) Vide quae hac de re dixi *Inst.* Vol. II. p. 3. pag. 79.

summam, τὸ ἄγαθον, cum ipsi mente intuerentur, tum docendo, scribendo, in primisque agendo exprimerent. Finem actionum omnium supremum illud habebat, quod ipsum esset per se *bonum*. Quae philosophi sententia, quamvis a posteris non satis recte intellecta, tamen ab omnibus est certatim celebrata. Nam non fuit, quod Academici, quod Peripatetici, quod Stoici atque Epicurei diligentius exquirerent, quam *summum*, quod vocabant, *bonum*. Cernimus, quemadmodum valeat haec Platonis philosophia ad Aristotelicam, sterilem illam ceteroquin, veluti foecundandam. Nam sic demum et observatio naturae et doctrinarum quarumcunque studium fructum humano generi praebere uberrimum potest. Sed alia sunt etiam, nec minus sane magna et praeclara, quibus prodesse Aristotelicae philosophiae Platonica potest.

Distinxit Aristoteles doctrinas, ut singulae singulatim tractarentur apte, ipseque earum tractandarum et rationem significavit et exempla dedit. Sed conjungi eaedem inque concentum redigi, quo rectius colerentur, debebant. Id vero item facere neglexit Aristoteles: quique post eum condere universam artium doctrinarumque encyclopaediam sustinuerunt, in quibus Baco praestitit, qui caeteris fere viam praeivit, haud inutile, fateor, negotium perfecerunt, sed tanto proposito impar. Discreverunt, in classes redegerunt artes et doctrinas, non

indagarunt, quibus e principiis, quos ad fines tractandae singulae essent. Encyclopaediam quicunque universam traditurus est, ducem ille Aristotelem, doctrinarum instauratorem, sed primum ac praecipue Platonem assumat oportet. Nam et hoc Plato de industria egit, ut artium omnium laudatarum ac doctrinarum *συνόψιν* praeberet philosophis. Unde *vinculum* illud *artium* longe celebratissimum, cujus ille unice et dictus ab antiquis et habitus auctor est. *Est illa*, ait Cicero, *Platonis vera vox, omnem doctrinam ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri* (*). Nec vero huc pervenire Aristoteles, repudiatâ idearum doctrinâ, poterat. Nam nullam esse Plato affirmaverat artium doctrinarumque *συνόψιν*, nisi quis in colendis illis pulcrum, bonum, justum, divinum praesertimque *bonum* spectaret. Haec apud eum principia, hi fines erant artis cujusque et disciplinae recte colendae. Nos autem, ubi id, quod neglexit Aristoteles, perficere secundum Platonicae philosophiae normam velimus, incredibile dictu, est, quantopere provecturi artium doctrinarumque studia simus. Sic enim demum conjungere illas in unum, quae adhuc, tamquam corporis membra, dispersae jacuerunt,

(*) Cic. *de Orat.* III. 6. Legendum fortasse: — *doctrinarum, ingenuarumque et humanarum artium ambitum uno* — *Ambitum* facile praecedente *artium* absorberi potuit.

iisdemque conjunctis recte spiritum, ut ita dicam, et vitam indere licebit. Tentavi negotium equidem scribendâ *scholâ Socraticâ* (*): quod quomodo mihi cesserit, alii judicabunt. Sed, utcunque ceciderit, vidi equidem, si quis usurpare hac in re peragenda, quod ego omisi tentandumque aliis reliqui, tam Aristotelicae, quam Platonicae philosophiae viam rationemque vellet, hunc demum de artibus et doctrinis, omninoque de generis humani caussis gravissimis immortaliter esse meriturum.

Sed de his quidem hactenus. Restat, ut illa commemoremus tandem, quae omnium facile gravissima sunt, quibusque ut caret philosophia Aristotelis, ita Platonis philosophia abundat: praecepta dico ad vitam instituendam recte, tum praecipue ad puriorem assequendam religionem idonea. Despiciebat Aristoteles philosophiam, quae vulgo habebatur, popularem illam ac practicam: ipse doctrinam spectabat summam, sapiente dignam, quae caussarum scientiam contineret: qua describenda sponte, ut diximus, ad caussarum omnium principem, divinam naturam, itemque ad theologiam procedebat. Sic deest philosophiae

---

(*) In libro vernacula linguâ scripta, *de Socratische school of wijsgeerte voor de negentiende eeuw*. Non omnia scilicet possumus omnes; quo magis laetor, exstitisse apud nos, qui illo modo tractare cum juris tum theologiae encylopaediam averent.

Aristotelicae, quamvis masculae et latissime patenti, quod ex Platonicae philosophiae fonte suppleamus. Sed habet etiam Aristoteles, quod desideremus, si unum sequi Platonem velimus.

Uti magna est Aristotelicae philosophiae dignitas atque auctoritas, ita mira est Platonicae modestia. Ordiendum haec nobis praecipit a Socratico illo, nos quidem de rebus illis magnis et captum nostrum excedentibus nihil scire; sed eosdem, quo minus nos scire putemus, eo majores facere ad cognoscenda omnia progressus posse: sic enim studio nos incendi perquirendi cognoscendique, quod, omnibus cognitis, nullum est. Hinc ducto initio, philosophia Platonis ad divinam assequendam naturam tendit: non vero illuc continuo, non ratiocinando connectendisque syllogismis accedit. Primum nos jubet nosmet ipsos cognoscere, ut innata homini studia tum pulcri, boni, justi, tum maxime sancti divinique assequamur: quibus exploratis interius, ecce! per artes nos ingenuas, gravioresque disciplinas, illuc, quo tendimus sponte, ad pulcrum, ad bonum, ad veritatem, justitiam, sapientiam, tandemque ad omnis veritatis, omnis justitiae sapientiaeque exemplar, divinam naturam, adducit. Elegans profecto haec philosophia est, imo una verissima, una maxime hominum generi necessaria, ut et rectam continuo ingrediatur virtutis omninoque perfectionis viam, et, semel

eam ingressum, teneat persequaturque constanter. Sed eadem philosophia, quamvis elegans, quamvis non minus se modestiâ, quam efficacitate ad perquirenda omnia se commendans, tamen non sufficit nobis. Externus nobis mundus non minus, quam internus cognoscendus est. Nati non solum ad nosmet ipsos explorandos, sed pariter etiam ad rerum naturam cognoscendam sumus. *Os homini sublime dedit*, ut ait poëta, natura, *coelumque tueri* nos jussit, *et erectos ad sidera tollere vultus.* Illuc autem nos, ut vidimus, Aristotelis philosophia, non Platonis, cum convertit totos, tum apte adducit. Quodsi Aristotelis omninoque Alexandrina aetas talem desideravit philosophiam, multo magis etiam haec nostra aetas desiderat. Tum quidem, aperto per Alexandri victorias oriente, magna sane orbis terrarum pars cum physicorum movebat studia, tum geographorum, tum astronomorum, tum vero etiam historicorum: quae studia aptâ inquirendi discernendique et jungendi ratione moderarentur. Nunc his ipsis, quibus nos vivimus, temporibus, non pars solum orbis, sed universa adeo tellus cognosci nobis coepit; cognosci nobis coelum, qua late patet, coepit, a sole inde ad extremas hujusce astri nostri circumeuntes planetas: cognosci nobis genus adeo humanum coepit, non in partibus quibusdam Europae, Asiae, Africae, sed

ut distributum summa varietate per universum orbem est. Quid dicam de instrumentis ab Aristotelis inde aetate inventis adaptatisque ad explorandam rerum naturam, deque opportunitatibus, quas his ipsis physicis doctrinis debemus, ad universum obtinendum cum eruditis nullius non terrae artium doctrinarumque commercium? Sublata adeo locorum intervalla videntur, ut Europam percurramus, uti olim percurrere singulas urbes, ut per terrarum adeo orbem trajiciamus, uti trajicere per regiones singulas solebamus. Et vero quo tempore magis, quam hoc nostro fervuerunt rerum naturalium universeque doctrinarum studia? Societatibus ad artes doctrinasque provehendas, quae olim urbibus regionibusque propriae fuerant, universa successit eruditorum hominum societas, non locis adstricta, sed per gentes quasque cultissimas longe lateque patens, ut aliis temporibus in aliis terris jungatur, nemo autem, undecunque oriundus, modo naviter incumbat ad studia, excludatur. His igitur temporibus, ecquis non videt, nec Socratis nobis nec Platonis philosophiam sufficere, adhibendum autem principem illum naturae observatorem doctrinarumque instauratorem esse, Aristotelem?

PHILOSOPHIAE

PLATONICAE ET ARISTOTELICAE

RITE CONJUNCTAE PRAESTANTIA.

Talis est verissima, ut videtur, Platonicae philosophiae et Aristotelicae conjunctio. Auctores utriusque sua uterque aetate perspicere nondum potuerunt, quemadmodum alter indigeret alterius ope: et vero, ut ipsi, ita multo magis etiam eorum sequaces, cum aequales, Academici et Peripatetici, tum posteri, Platonici et Aristotelici in diversas partes discesserunt: nos vero id possumus facile, quippe nostri ratione saeculi non sectis addicti, sed veri unice studio ducti, integram assequi veritatem studentes. Nec vero nos, exploratis his omnibus, latere potest utriusque philosophiae recte sic conjunctae praestantia. Nam ut cognoscere hominem in primis cum semet ipsum et mundum interiorem, tum rerum naturam atque externum mundum decet, ita philosophia, quae optima quaeque, ut Platonis, ita etiam Aristotelis placita complectitur, eaque apta ratione ad utrumque mundum penitus cognoscendum adhibet, haec igitur, si qua alia, germanum nostrae aetatis philosophum decet. Illud vero tenendum nobis, sufficere homini philosophiam Platonicam ad bene vivendum posse, quod nobis profecto maxime spectandum:

Aristotelicam non posse: hanc autem, ut doctrinas et physicas et caeteras omnes recte adhibeat gravissimis humanitatis caussis, illius indigere necessario efficacibus ad veritatem, ad sapientiam sinceramque religionem incitamentis. Quo magis hoc nobis agendum, ut non solum, quod sponte facimus, ad Aristotelis exemplum doctrinas provehamus, sed etiam, quod negligere nimis solemus, Platonis philosophiam, ut unam maxime et veram et salutarem nobis philosophiam, cum colamus studiose, tum vindicemus.

Ad finem perductam esse video, quam suscepimus, de Platonica atque Aristotelica philosophia disquisitionem. Illud hisce omnibus in usum nostrum subjungendum, censeo, haud temere nos a medio inde aevo philosophiam in duo genera distribuisse, in *philosophiam theoreticam* et *philosophiam naturalem*: abesse vero multum, ut quid utrâque intelligendum sit, perspiciatur vulgo. Nec sane mirum. Nam *theoreticae* philosophiae non *naturalis*, sed *practica* respondet: *naturalis* autem philosophia non habet cui respondeat, nisi *artificialem*. Unde patet satis, duo illa philosophiae genera, quamvis recte discreta, quippe ambo, ut vidimus, ad diversum veluti mundum pertinentia, non aptis nominibus significari. Itaque alii alia nomina usitatis substituerunt: ut theoretica vocaretur sive *speculativa*, sive *transcendentalis*:

naturalis vero, non immutato nomine, *accuratas*, quas vocant, *doctrinas* sive *scientias* contineret. Frustra vero illi. Nam illud *speculari*, quod dicunt, si quod aliud nomen, naturae observandae indagandaeque convenit: absurda autem res sit, *accuratas doctrinas* illas duntaxat appellare, quae ad naturalem philosophiam referuntur. Hinc autem accidit, ut inepto nominum usu ipsa haec philosophiae genera confunderentur plane, quin etiam perversum in modum tractarentur. Nam, fateamur necesse est, inanibus ita fictionibus, quas *speculationes* appellant, indulgent sibique placent mirifice theoretici philosophi; qui vero in naturalem incumbunt philosophiam, a theoretica illa sive transcendentali alieni sunt atque abhorrent plane. Equidem, ut ex his nos difficultatibus expediamus, unum hoc nobis praecipue agendum esse censeo, ut, si minus de *nominibus*, tamen de *rebus* apud nos constet; nec frustra, opinor, illuc, ad res ipsas recte penitusque perspiciendas, haec omnis nostra de Platone et Aristotele disceptatio adhibeatur. Nam ut theoreticae philosophiae Plato, ita naturalis Aristoteles, si quid video, auctor fuit, uterque autem singulatim, quae tandem utraque sit, quo pertineat valeatque maxime, tum vero etiam, quemadmodum tractari recte et possit et debeat, suo ipse exemplo docuit. Quamobrem, si capere ex universa philosophia verum uberri-

mumque fructum velimus, haud inepte, me judice, theoreticae, quam vocamus, philosophiae, ducem Platonem, naturalis vero Aristotelem sumemus.

QUAESTIONES CRITICAE.

Veri obrussa critica est.

Eclecticismi, Sodales eruditissimi, in his disceptationibus mentionem feci. Dixi, perduxisse eum semper, certe Alexandrina aetate, ad syncretismum; ab hoc autem cavisse maximos quosque philosophos, ipsum adeo Platonem, quamvis ille Socraticae disciplinae Eleaticorum, Pythagoreorum aliorumque placita adhiberet. Dignum mihi visum hoc argumentum est, de quo vobiscum, ad caloem hujus libelli, datâ operâ agerem, quippe arcte cum his disquisitionibus conjuncto. Juvat autem quaerere, primum: *quid caussae fuerit, ut eclectici fere philosophi in syncretismum lapsi sint:* deinde, *qua nos via et ratione usi, pariter ac Plato fecit, a syncretismo nosmet praestare immunes possimus:* tertio: *quemadmodum distingui a critica, quae vocatur, philosophia criticismus debeat:* quarto: *quid maxime agendum philosophis in omni philosophandi ratione sit, ut bene de genere humano mereant.* Tum etiam, quod quaesiverunt fere superiore saeculo philosophi, *quid de perpetua stabilienda inter philosophos pace*

existimandum videatur: denique, cujus rei nostra potissimum his temporibus interest, *quemadmodum ad recte philosophandum eclectica adhibenda methodus sit.* *Criticas* vocavi quaestiones hasce. Nam habebimus, in his explicandis, *criticismi* maxime, sive *criticae*, quae philosophum decet, *methodi* rationem.

I.

Quid caussae fuisse videtur, ut eclectici fere philosophi in syncretismum lapsi sint?

Syncretismo sane nihil est perversius, nihil germanae philosophiae perniciosius. Nam, ut eclectici ex optimis quibusque philosophorum doctrinis optima quaeque delibant, indeque ad recte philosophandum proficiunt, ita syncretistae contrarium agunt: commiscent doctrinas philosophorum, quamvis totas et ab ipsis inde principiis a se invicem abhorrentes. Quo fit, ut, confusis obscuratisque omnibus, lumen desideretur philosophiae. Patuit illud, uti dicere institui, ea maxime apud Graecos aetate, qua dudum jam in lucem prodierant philosophi, qui novitate non minus, quam excellentiâ doctrinae inclaruissent; praesentes autem philosophari ad illorum exemplum nitebantur. Quamobrem delectum hi praestantissimorum philosophorum habebant, ut, optima quaeque ex optimis

adsciscentes, inde novam quandam omniumque praestantissimam sive philosophiam sive doctrinam conficerent. Fuerunt eclectici illi cum alii multi, tum potissimum Ammonius Saccas, Origenes, Plotinus: celeberrimi sane aetate sua viri, sed hoc fere nomine a posteris reprehensi rejectique, quod minus *eligere*, ut videbantur, reapse ex superioris aevi philosophis, in primis e Platone et Aristotele, optima quaeque, quam omnes *conciliare* contendissent, atque ita commiscuissent perturbassentque omnia. Quam philosophandi rationem his verbis rectissime notat Ruhnkenius, ubi Longinum illis opponit. *Longinum*, ait, *ignoret necesse est, qui tali ingenio placuisse credat duram et contortam philosophorum, qui conciliari nollent, conciliationem, insanum allegorici sive secretioris sensus quaerendi studium, mysticas disputationes de Deo divinisque emanationibus, quibus omnes illorum libri sunt referti, alia denique multa, quibus tum vera et sincera Platonis philosophia foedum in modum adulterabatur* (*). Quodsi quaerimus, cur eo pervenerint perversitatis eclectici illi, scilicet defuisse iis videtur, qui cunctis veri nominis eclecticis proprius fuit, criticismus.

(*) Ruhnk. *Disput. de Long.* C. VI. Opusc. I. 498.

II.

Qua nos via et ratione usi, a syncretismo nos praestare immunes possumus?

Utendum critica est, quam illi neglexerunt. Sed nos, ut id plane perspiciamus, primum quaeramus, quemadmodum critica sit philosophiae studio adhibenda, tum *criticismum* recte a *philosophia*, quae vulgo dicitur, *critica* distinguamus.

Critica, ut ipsum indicat nomen, primarium habet *cernendi* munus: cernit, quae nec satis a se invicem distincta sunt nec recte propterea percipi intelligique possunt: cernit in primis falsa a veris, quominus in judicandis rebus falsâ veri specie decipiamur. Adhibuerunt eam primum philosophi virique literati scriptis interpretandis superiorum aetatum. Ad quam rem suscipiendam ut signum sustulit, quod supra monuimus, Aristoteles: ita secuti hunc in praeclaro hoc studio sunt principes critici Alexandrini, Aristophanes Byzantius, Aristarchus, alii. Patuit autem criticae vis et utilitas recentioribus praesertim temporibus. Nam cum, medii aevi socordia ac barbarie, neglecta fuissent prorsus antiquorum, Orientalium, Graecorum et Romanorum monumenta, rènatis literis exstiterunt, qui ea exquirerent, in lucem producerent denuo atque apta criticaque interpretatione explicarent. In quibus hoc criticae studio dici vix potest quanto-

pere theologiae Erasmus et Beza, Cujacius aliique jurisprudentiae, tum vero ipsis antiquis literis triumviri, Scaliger, Casaubonus et Salmasius profuerint. Nec vero neglecta a criticis philosophia est. Exstiterunt superiore maxime saeculo, qui Graecorum Latinorumque philosophorum scripta, collatis codicibus atque emendandi interpretandique diligentiâ adhibitâ, restituere, quoad ejus fieri poterat, in integrum studerent; his autem studiis efficerent, ut, in optimorum usum philosophorum, fontes illi philosophiae limpidissimi uberrimique aperirentur. Quo magis habemus, quod grato prosequamur animo Tiberii Hemsterhusii, Ernesti, Valckenaerii, Ruhnkenii, Heynii, Wyttenbachii, aliorumque memoriam, qui vestigia legentes tum Alexandrinorum interpretum, tum triumvirorum, quos diximus, processerunt porro, ipsique ex illis fontibus ad recte philosophandum hauserunt. Nec tamen hîc subsistendum nobis est. Quod praeclare illi inchoarunt, ut criticae ope historiam etiam philosophiae illustrarent, id omnium maxime philosophos persequi decet, qui quidem non suo ipsi ingenio, sed, adhibito etiam historiae lumine, ipsam provehere philosophiam cupiunt. Et vero hi, quo uberiores ex antiquorum scriptis philosophorum fructus capiant, *criticismo*, quem appellamus, operam navent necesse videtur. Sic demum, ut dicere coepi, eclecticis veri nomi-

nis philosophis, id est, qui, Platonis instar, undecunque ad recte philosophandum proficere cupiunt, annumerandi erunt. Cavendum vero, ne quis *criticismum*, quem commendamus, cum *critica*, quae dicitur, *philosophia*, confundat.

III.

Criticae philosophiae et criticismi discrimen.

Non est sane, quod criticae philosophiae studium vituperemus. Refertur ad ipsam mentem humanam diligenter explorandam: quo sane nihil est ad provehendam philosophiam utilius efficaciusque. Verum ratio non probanda videtur, qua id fere tentarunt philosophi. Nominis auctor Kantius fuit, qui edita *purae rationis*, tum etiam *practicae critica*, criticam philosophiam in Germania induxit. Res vero ipsa sive ratio haec philosophandi non erat nova. Idem jam antiquitus cum Aristoteles, tum Stoici, tum etiam duobus ante Kantium saeculis, partim Lockius, partim Lockiani, qui apud Anglos et Francos exstiterunt, philosophi, instituerant. Similiter hi omnes, quod nec apud veteres Plato, nec apud recentiores Cartesius satis diligenter factitasse videbatur, data opera perficere in animum induxerant, ut rationem sive intellectum hominis ejusque faculta-

tes omnes sedulo explorarent. Ita plane Kantius, quod in ipso criticae prooemio profitetur. *Puram rationem, inquit, esse animi facultatem cognoscendi res per se solum, sine sensuum corporis et experientiae communione: inventarium notitiarum intelligibilium a pura ratione profectarum, esse systema metaphysicae. At hoc in libro id systema nondum exhiberi: sed criticam, id est, censuram, agi rationis purae et notitiarum ab ea proficiscentium: inquiri, an metaphysica cadere possit in facultatem ingenii humani: possibilis necne sit: quam superiore aetate reginam scientiarum habitam, nunc saeculi errore contemtam jacere: et quasi Ovidii Hecubam queri — modo maxima rerum, tot generis natisque potens, nunc trahor exsul, inops. Ita hoc in libro quaeri, sitne omnino quaedam metaphysica, ejus limites fontesque designari ex principiis: rationem difficillimum, suum munus, se ipsam cognoscendi, denuo suscipere, tribunal constituere, quod ipsius justa postulata tueatur, injusta repudiet, istam litem non imperiosis edictis, sed ad aeternas et inmutabiles ipsius rationis leges decidat. Hanc unam adhuc relictam viam se ingressum profiteri, nullum esse metaphysicum problema, quin per hanc criticam aut solutum sit, aut ei solvendo via aperiatur, et quasi cla-*

vis praebeatur (*). Nolim hoc loco Kantianae disciplinae ac Lockianae discrimen, quod permagnum est, exquirere. Sed pariter utrique philosophi, cum Lockiani, tum Kantiani, hac usi methodo eo pervenerunt, ut systema conderent, certe illi sensualismum, hi transscendentalem philosophiam unam haberent recte philosophandi rationem, excluderent autem philosophorum choro, quotquot aliam inirent viam. Nec Lockium equidem ipsum, nec vero Kantium hujus temeritatis accuso. Ille enim sensui interno tribuebat plurimum, hic, uti jam notavi, tam Platonem exprimere philosophando, quam Aristotelem conatus est. Et vero uterque, antiqui instar Aristotelis, magis methodum docere philosophandi, quam systema condere voluit. Sed Lockiani philosophi, illi praesertim, qui in Francia Lockii rationem secuti sunt, ut Condillacius, Dalembertus, Helvetius, alii, hi neglecto plane interno hominis sensu, externos unice sensus exploratum iverunt; tum Kantiani magnam partem transscendentalem philosophiam illam veluti arcem habuerunt, e qua in caeteros philosophos omnes et veteris et recentioris aevi despicerent. Quo minus sane id effectum hac critica philosophia est, quod speraverat Kantius, fore, ut, hac

(*) Locum e Praef. Kantii hac Wyttenbachii versione exhibui. V. *Bibl. Crit.* Vol. III. P. IV. p. XX.

tractanda, pax aliquando inter omnes philosophos perpetua esset.

Criticismi, quem intelligimus, aliud negotium est. Ad historiam philosophiae, non ad mentem hominis explorandam pertinet. Valet autem eo, ut, quemadmodum critica scripta veterum philosophorum illustrat, eodem modo ipsos antiquitatis philosophos in luce ponat. Nec dissimilis est, qua id efficit, ratio. Nam pariter cernendo pergit; quo nihil est ad res illustrandas aptius: pariterque, quod historia requirit potissimum, vera a falsis discernit. Est enim historiae proprium, ut res gestae non satis fere temporibus distinguantur; quo fit, ut, qua fuerint conditione, vix perspiciatur. Accedit historicorum vitium multorum, ut, e sui temporis ratione, praeteritorum temporum gentes resque gestas et ipsi judicent et legentibus cognoscendas judicandasque tradant. Quod in philosophiae in primis historia cavendum est. Quis enim intelligere Platonem, quis Aristotelem, quis omnino veteris aevi philosophos potest, qui ad Cartesii, ad Kantii, ad Hegelii rationem eorum placita philosophandique methodum exigit? Caecutiat necesse est in historia tractanda philosophiae, ut illi solent, qui ad res conspiciendas alieni coloris perspicillo utuntur. Ne vero ita temere agamus, ne placita ipsi nostra praesentisque aevi rationem in praeterita et antiqua adeo tempora

transferamus, criticismus cavet. Nam, discretis recte a se invicem et temporibus et temporum moribus philosophandique methodis, suo omnia veluti colore et habitu cognoscere licet. Sed hoc nobis in primis, quod praestat criticismus, attendendum videtur.

Praejudicatarum opinionum omnia sunt in historia philosophiae plena. Ullorum vix hominum altercationes graviores vehementioresque fuerunt unquam, quam philosophorum. Nec mirum. Nam sectas pepererunt excellentium philosophorum doctrinae: quo factum, ut in litibus illis et dissensionibus non singularium eruditorum, sed universarum sectarum caussa ageretur. Accedebat philosophiae cum rebus politicis, quin etiam cum religionis tam principiis quam dogmatibus conjunctio: quidni igitur de philosophis primariis cum ipsis, tum de placitis eorum tam diversae esse hominum sententiae debuerunt, ut, quid de iis vere justeque statuendum esset, acutissimum etiam quemque lateret? His autem in tenebris altercationum ut lux oriatur, quid efficere magis, quam apta sinceraque cernendi judicandique ratio, i. e. criticismus, potest? Criticismi scilicet est, primum, omni vacare partium studio, unumque exquirere, in philosophis eorumque decretis censendis, verum: deinde, alios philosophos recte ab aliis distinguere, ut tales plane, quales

fuerunt, nobis appareant, nec minus nos illos, quam praesentis temporis homines e propria sentiendi, cogitandi, scribendique ratione a se invicem dignoscamus; omninoque virtutes eorum et vitia tam accurate, quam hominum, quibus familiariter utimur, teneamus.

Quodsi eo nos duxerit, qui vero nomine dicitur, criticismus, tum demum conjungi recte cum eclecticismo potest: imo vero, sic demum via paratur nobis ad eclecticismum naviter atque ad summum generis humani emolumentum tractandum.

IV.

Quid maxime agendum philosophis in omni philosophandi genere est, ut omnes bene generi humano consulant?

Efficimus e dictis satis, opinor, quemadmodum nos cavere, ut Plato fecit, a syncretismo, gravissima philosophiae peste, oporteat. Criticismum adhibeamus necesse est, eoque usurpando non suum solummodo cuique et philosopho et philosophorum sectae tribuendum est, sed exquirendum etiam, qua singuli philosophi ratione ad suam pervenerint philosophandi maturitatem. Nam in scriptis profecto, quae juvenili illi aetate ediderunt, alii fere magnam partem apparent, quam in virilis senilisque aetatis foetibus prodeunt. Quod quo diligentius animadverterimus, eo facilius et lites dirime-

mus de contrariis, certe dissimilibus eorundem philosophorum placitis, et ipsos philosophos totos intimeque cognoscemus. Sed haec quidem de hisce hactenus. Age, illud quaeramus praesertim, quid in omni philosophandi genere philosophis in primis sit tenendum.

Optima ad philosophandum via nec dogmatismus est, qui vulgo dicitur, et systematum angustiis continetur, nec scepticismus, qui facillime ad dubitandum de gravissimis rebus ducit. Est, ni fallor, his in primis temporibus nostris, eclecticismus, sed apte, ut diximus, cum criticismo conjunctus.

Imitemur hac item in re Platonem. Quamvis *Socraticus*, quod ipsa attinet philosophiae principia, tamen non esse *alter Socrates* voluit. Proficiendum sibi e nullis non philosophis superioris suaeque aetatis, quin etiam e poëtis, statuit: similiter Aristoteles et summi quique et antiquo et recentiore aevo philosophi: noluerunt in verba magistri jurare, progredi ulterius etiam, quam praesens aetas processerat, conati sunt. Quamquam cuncti illi longe ab ista temeritate abfuerunt, ut sibi suoque ingenio omnia, aliis nihil videri vellent debere. *Quis omnium doctior,* ait Cicero, *Aristotele fuit?* (*). Tot illum poëtas, tot omnis generis scriptores, tot philosophos legisse, nec tantum

(*) *Orat.* c. 51.

legisse, sed censuisse etiam, ex iisque ad recte philosophandum profecisse, constat, ut si hoc unum per totam vitam factitasset, vix vita his studiis suffecisse videatur, idemque ille in doctissimis hominibus praecipuum locum obtinuisset. Idem statuendum de Cicerone est: qui pariter atque Aristoteles propter multiplicem hanc veterum scriptorum ac philosophorum, qui magnam nunc partem interierunt, lectionem, princeps nobis auctor est historiae cum literariae tum philosophicae. Itaque uterque hic philosophus recte subinde eclecticis philosophis annumeratus est (*). Quod universe dici de Romanorum philosophis potest. Nomen illi quidem a sectis habuerunt. Vocati alii Academici, alii Stoici, alii Epicurei, alii alio sectarum nomine sunt, nec tamen ita totos se singulari cuidam philosophandi formulae dederunt, ut hujus coacti terminis, in alias non excurrerent, indeque proficere cuperent. Spirat per universam Senecae philosophiam non minus Epicuri quam Zenonis doctrina. Et sane tota Romanorum indoles ab his philosophiae angustiis omninoque a scholae umbra abhorrebat. Verum pauci eorum omnium fuerunt, qui, sicuti Plato, undecunque ad philosophandum proficientes, quod ad philosophiae

(*) Cousin, *de la Métaph. d'Arist.* p. VII. Cf. Buhle, *Geschichte der Phil.* Vol. IV. p. 7 sqq.

attinet principia, *Socratici* essent. Aristoteles, ut vidimus, eo magis a magistro discessit, quo minus haurire e Socratico moralis philosophiae fonte voluit: pariterque omnes, qui assequi, Aristotelis instar, primam illam philosophiam, ipsamque sapientiam annisi sunt, Socraticam philosophiam, quippe simpliciorem quandam, repudiarunt. Quo praeclarius de sua, imo vero de omni, quae consecuta est, aetate meritus Cicero est, qui Platonem non minore, quam Aristotelem, honore habuit dicique ipse *Socraticus* non recusavit. Est nempe Socratica illa philosophia, ut simplicissima, ita una ad recte philosophandum necessaria. Nam hanc quicunque ab ipso studiorum initio sequitur, non solum a Delphico illo et divino γνῶθι σεαυτόν proficiscitur, sed, quemadmodum cognoscendus homo sit, continuo perspicit. Non is, prouti Aristoteles et Stoici apud antiquos, et apud recentiores Lockius et Kantius, intellectum continuo hominis sive puram rationem explorabit, ut hinc deinceps, ut recentiores hi fecerunt, ad sensum internum et practicam rationem procedat: praeposterum hoc iter est: sed ab animo statim, ab ipsa hominis indole, ab universa hominis natura initium philosophandi faciet, ut Plato ad divini magistri exemplum fecit, illuc respiciens, ut ait, ad φιλοσοφίαν, quae in ipsa hominis mente latet. Hinc

orsus, nec ad sensualismum perveniet facile, qui semper ad materialismum et atheismum duxit: nam, perspectis in animo hominis divinis his principiis, quo tandem modo ad abjectam hanc de homine doctrinam delabatur? Nec vero etiam, quod Kantius commisit, ad idealismum vel ipse erit pronus vel aliis viam aperiet: quo facile quis accedat, qui praeposterum iter instituerit. Sed hanc ingressus *regiam*, quam appellare licet, philosophandi viam, cum pulcri, tum veri, tum justi, tum divini denique philosophiam excolet, ac per hosce veluti gradus, siquidem alia ulla ratione, ad omnium doctrinarum supremam, ad ipsam sapientiam escendet.

Talis esse videtur, qui nostris potissimum temporibus conveniat, criticismus. Nec sic in hisce Platonem colamus ac veneremur, ut hunc unum habeamus, quem sequamur, philosophum. Ipse, ut dixi, *alter* esse *Socrates* noluit, sed, quod optimi quique post eum philosophi studuerunt, ab omnibus proficiendum philosophis ratus est. Pariter nobis, si quid video, agendum. Intercesserunt inter ejus aetatem et hanc nostram duo et quod excurrit annorum millia: quo temporis spatio quot quantique exstiterint philosophi, scimus. Horum nobis nullus, qui quidem philosophando excelluit, quamvis a nostra ratione alienus, repudiandus est. Nam quascunque in lucem emiserunt

sive doctrinas sive philosophandi rationes, prodiderunt, unde nobis in usum nostrum tollere aliquid liceat. Proficere adeo ex eorum erroribus, ne similiter erremus, possumus. Verum, ad rite sic instituendum eclecticismum, duo, quae dixi, recte tenenda sunt: primum, ut huic eclecticismi studio verissimum adjungamus criticismum; tum vero in primis alterum illud, ne in omni hoc accurato et latissime patente historiae philosophicae studio, Socraticae negligamus philosophiae principia.

Sed illuc jam accedamus, quo superiore in primis saeculo contenderunt philosophi, quid de perpetua existimandum inter philosophos pace videatur.

V.

De pace inter philosophos perpetua stabilienda.

Duplici illa modo exsistere potest, ubi vel exstiterit philosophia, quae tantam habeat apud omnes philosophos auctoritatem, ut nemo quisquam aliam sive tentare sive inducere audeat, vel ipsi philosophi, lites tandem ac controversias exosi, philosophari desinant. Neutrum, credo, exoptemus magnopere. Nam, quod priorem modum attinet, qualis ille sit, usus docuit. Et patrum nostrorum memoriâ Wolfiana, et nobis adolescentibus

Kantiana philosophia, Aristotelicae instar superioribus saeculis, una ferme omnibus verissima esse philosophia uniceque profitenda visa est. Scimus autem, tantum abfuisse, ut ita perpetua exsisteret inter philosophos pax, ut contra haec ipsa unius philosophi auctoritas summa gravissimorum caussa bellorum fuerit. Alterum vero paciscendi modum, qui in philosophorum quasi desperatione positus est, quis est, quin deprecetur magis, quam exoptet? Nec sane equidem talem philosophorum, qualem vulgo somniant, pacem expetendam censeo. Placidam fingunt nescio quam, sive tranquillitatem, sive inertiam, qua scilicet in verissima optimaque, quae habeatur, doctrina acquiescant. Philosophi vero non est, in aliorum, quamvis excellentium virorum, decretis acquiescere, sed inquirere sponte suâ, sed novas inquirendo vias ad inveniendum aperire, sed contendere certatim cum aliis ad verum cum patefaciendum, tum stabiliendum, tum a sophistarum cavillationibus vindicandum. Hoc demum philosophi studium, hoc munus in civitate est: nec unquam exstitit, opinor, dignus philosophi nomine vir, quin semper sibi suaeque aetati progrediendum esse ad rerum scientiam veramque sapientiam existimaret. Quo in optimorum quorumque cum optimis quibusque certamine fieri non potest, quin exoriantur subinde contentiones controversiaeque gravissimae, quae,

quamvis honestae, quippe veritatis causså susceptae, quamvis etiam, si victrices fuerint, gloriosae, tamen facillime solent concertantium litigantiumque animos disjungere. Ergo, quemadmodum, vigentibus generosissimis philosophorum studiis, pax eorum exsistere, qualis vulgo fertur, perpetua possit, non video. Nec vero, quod dixi, expetenda magnopere illa est. Viget philosophia ipsa in summa philosophantium cum varietate tum dissensione. Alii metaphysicam, ut Wolfius praescripsit, tractare pergunt: alii, hac rejecta, transscendentalem assequi philosophiam student: sunt etiam, quibus, misso metaphysicae studio, una maxime Socraticae simplicitas philosophiae et modestia placeat, sperantibus fore, ut hac via certissime ad sapientiam sint perventuri: nec desunt etiam, qui, ut Neoptolemus apud Pacuvium, philosophandum, sed *paucis*, putent, quibus nempe *omnino philosophari* non placeat: homines item philosophiae utilissimi, quippe integro subinde atque acri judicio philosophorum commenta cum explorantes tum carpentes. Horum autem cum unusquisque pro suo sive ingenii captu, sive animi ardore, sive in literis doctrinisque progressu, philosophiam excolat, quidni nos omnium pariter et studium probemus et inventa, si qua prodiderint, laudemus ac celebremus? Quidni confiteamur, florere philosophiam ipsam nisi hac summa philoso-

phantium varietate ac dissensione non posse? Addo, humanitatis esse, quae nostrae in primis aetati propria est, ut dissentientes feramus facile. Nam aliud est sane hoc saeculo nostro, aliud medio aevo, philosophandi studium; inquirere malumus, quam pugnare: monere alios, quam refutare: progredi constanter ad veritatem ac sapientiam, quam argutando nobismet ipsis et aliis progressionem impedire. Quodsi exsistunt subinde, qui scholasticam nobis argutando altercandoque philosophiam referant, placent illi forte, ut sibi, ita paucis quibusdam sive discipulis sive fautoribus, caeteris manent ignoti. Omnino dissentientes ferre facile, in primisque ab omnibus, quibuscunque tandem et quamcunque profitentibus philosophiam, proficere, hoc est quod optimus quisque et celeberrimus nostra aetate philosophus expetat maxime. Quae cum ita sint, quid pacem illam philosophorum, quam somniant, exoptemus?

Veruntamem aliud longeque ab illa pace diversum illud est, quod nos quidem hac praesente philosophiae conditione exoptemus vehementer: communem dico philosophorum, in qualicunque tandem opinionum doctrinarumque dissimilitudine, de principiis philosophiae consensum. Id autem si quando obtinebimus, Socraticae debuerimus philosophiae studio. Philosophetur pro suo quisque

16

ingenio studioque: sit, per me licet, vel dogmaticus, vel scepticus; sit vel Wolfii etiamnunc, vel Kantii, vel Schellingii, vel Hegelii assecla: proficere multum, cum sibi, tum aliis e diversissimis hisce philosophandi methodis, tum vero discere, in primis a primariis his philosophis potest; sed idem, priusquam has principum doctorum scholas adeat, in Socratica velim schola eruditus a tenera inde aetate sit, ut, philosophia quid sit, quo pertineat maxime, noverit, ut semet ipsum mundumque internum atque moralem explorare recte didicerit, ut rectam inierit ad philosophandum viam, nec imprudens oberrans, deinde vel per dogmatismum includatur doctrinae singularis angustiis, vel per scepticismum ad dubitandum de rebus omnibus accedat, vel per sensualismum ad materialismum et atheismum adducatur, denique per idealismum ad pantheismum, mysticismum, similia omnia, delabatur. Ab his omnibus ut quis caveat, ut delibet prudenter e celebratissimis doctrinis optima quaeque, caetera rejiciat, una, mihi crede, aptissima efficacissimaque Socratis institutio est, quippe verissima continens verissimae philosophiae principia.

Similis esse hac in re philosophorum, ac poëtarum ratio debet. Sunt varia poëseos genera: alii poëtae didacticum, alii comicum, alii tragicum, alii bucolicum, aliud alii genus tractant; sunt etiam, quamvis

pauci, qui lyricae poësi, omnium principi, operam navent. In hac autem summa poëtarum varietate ac diversitate, pax, quae vocatur, non cernitur. Dissentiunt illi a se invicem magnopere, magisque adeo, quam philosophi, in se invicem invehi solent. Nam *irritabile* est, quod veteres dixerunt, *vatum genus*. Veruntamen in gravissimis his dissidiis, quod ipsam poësin attinet, non singuli suum duntaxat poëseos genus probant, alia omnia despiciunt; contra universam universi poësin, modo recte tractetur, dilaudant. Par esse ratio philosophorum debet; singulos oportet philosophari, prouti cujusque fert ingenium. Nam fieri in his item rebus, quod vulgo dicitur, multis modis bene potest: dummodo apud universos, tanquam philosophos, de veritatis virtutisque principiis constet. Sed huc respiciamus item. Quodsi pauci omni aevo poëtae fuerunt, qui, Pindari atque Horatii instar, sublime illud odarum sive lyricum genus tractarent recte, non omnes pariter vel hoc unum esse ipsam poësin dictitarunt, vel hoc unice assequi studuerunt. Excoluerunt singuli suum, quod maxime placebat, poëseos genus. Sic item judicare et agere philosophos decet: non, uti vulgo et judicarunt et egerunt. Ex quo tempore in Germania exstitit Kantius, sublimis illius philosophandi generis, transscendentalis, auctor, omnes quotquot fuerunt dictive sunt philosophi, acsi una haec

esset philosophia, *Kantiani*, imo *transscendentales* philosophi dici haberique voluerunt, alios omnes alto supercilio despexerunt: quod ante pariter egerat philosophorum natio, quum primum Cartesius, deinde Leibnitzius, tandem Wolfius prodiisset. Perperam sane illi. Quasi scilicet non esset praeter dominatricem philosophiam alia philosophandi ratio; vel, quasi non ipsi philosophi, pro temporum morumque conditione, alii aliter philosophari deberent. Philosophos hac item in re poëtas imitari decet. Göthium celebrarunt uno ore omnes: et sane simillima hujus poësis est, sublimitatis habita ratione, Kantii philosophiae; nec tamen poëtae hunc unum habent *poëtam*. Non Göthianos se nunc ferunt, nec antea dici sive Klopstockiani, sive Miltoniani, sive Shakespeariani voluerunt. Fatentur adeo multi, vix assequi se Göthii sublimitatem posse, certe carmen ejus, quod *Faust* inscribitur, non totum se ac penitus intelligere: *poëtarum* ipsis nomen honosque sufficit, non aliunde commendationem petunt. Hinc autem mira illa omni tempore principum etiam poëtarum varietas. Omnino, ut poëseos, ita philosophiae varia sunt genera, quorum unumquodque qui recte tractarunt, pariter ac poëtae, suis non sunt laudibus destituendi: modo hoc agant universi, ut ex optimo uberrimoque artis disciplinaeve fonte hauriant. Poëtae apud Graecos, quodcunque excoluerunt poëseos genus,

legendo Homero a teneris fuerant poëseos principiis imbuti:

a quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Sic quoque agendum philosophis est; nam his item et antiquitus fuit et etiamnunc *Socrates* est perennis philosophiae fons, verissimae philosophiae, ut dictus habitusque ab omnibus est, *parens*. Itaque, ut ad propositam nobis quaestionem revertamur, abest multum, ut pacem illam philosophorum, a multis speratam superiore saeculo, hoc nostro saeculo expetamus: sed hunc, quem diximus, philosophorum de principiis philosophiae consensum, hunc, inquam, dici non potest, quantopere ad recte instituendum philosophandi iter, expetamus atque exoptemus.

Nondum, fateor, compotes hujus voti facti sumus, nec facile illud consequemur. Affluit aetas nostra nullis non vitae apte suaviterque degendae opportunitatibus, quo artium doctrinarumque studia valent plurimum. Ferax item excellentium ingeniorum est, ut non desint, qui rebus sacris et politicis gravissimisque vitae nostrae caussis consulant praeclare. Desiderat vero eadem haecce aetas nostra, confitentibus omnibus, vim moralem. Attamen, quo hanc magis desideramus, eo minus committendum philosophis est, ut in tractanda summo studio sive transscendentali, sive naturae,

ut ajunt, philosophia, principia philosophandi negligant. Imo vero, ut haec explorent in hominis animo diligenter, ut inde et philosophiae et artium omnium ac doctrinarum studium et rationem ducant, ut id factitantes naviter, tam religionem nostram sublimem nobisque unice salutarem, quam ipsam philosophiam, ad provehendas gravissimas regnorum ac civitatum caussas, adhibeant, hoc est quod nostra aetas a philosophis potissimum suo plane jure postulat.

VI.

Quae unice probanda eclecticismi ratio videtur?

Quodsi quaerimus tandem, quid valere, ad naviter hoc consilio philosophandum, eclectica, quam commendamus, ac critica philosophandi ratio possit, valet eo plurimum, modo recte, qualis sit, intelligatur, ac principiis nitatur Socraticae philosophiae. Nam primum, non ita sectae auctorem habent eclectici, ut Cartesiani, Kantiani, Fichtiani. Exstiterunt, hoc saltem appellari nomine coeperunt, postquam omnia ferme philosophandi genera a Thalete inde et Pythagora ad Stoicos et Epicureos inventa acerrimisque studiis tractata fuerant: tunc orti sunt philosophi, qui ex omnibus sectis optima quaeque delectum irent. Unde in-

telligitur, eclecticismum, quod nomen attinet, magis temporum opportunitate, quam principis auctoritate philosophi exstitisse. Deinde, singularis quaedam propemodum eclecticorum ratio est. Non enim, ut sceptici dogmaticis ac dogmatici scepticis, illi aliis fuerunt quibusdam oppositi. Constat sibimet ipse eclecticismus et naturam refert: quamobrem nullis non, qui fuerunt, principibus philosophis communis fuit. Eclectici quodammodo triumviri praestantissimi fuerunt, Socrates, Plato, Aristoteles. Nam singuli illi pariter, ac deinde Alexandrini eclectici, e superiorum aetatum philosophis et poëtis profecerunt. Stoici autem et Epicurei, collectis antiquiorum placitis physicis, dialecticis, moralibus, inde confecerunt systemata sua. Naturam refert, ut dixi, eclecticismus: tum demum repugnare naturae coepit, quum iidem illi Stoici atque Epicurei, praecipue vero proprie sic dicti eclectici, Ammónius, Porphyrius, eorumque asseclae, criticâ neglectâ, neglectis adeo Socraticae philosophiae principiis, commiscere temere nulla non priscorum placita, indeque conflare philosophiam, nescio quam, eclecticam instituerunt, ut eclecticismus, ab illo inde tempore ad nostram usque aetatem, eâdem plane, qua *syncretismus*, significatione acceptus fuerit. Quo rectius criticae philosophiae auctor, Kantius, severo judicio intellectus humani facultates sub-

jiciens, subjiciendas item illi sectarum omnium philosophandi methodos ratus est, hac una scilicet in re minus recte, imo perverse judicans, quum ad suam illam criticam philosophiam, tanquam scientiam certissimam, placita philosophorum sectarumque omnia, quaecunque exstiterant olim, exigeret. Sic fructu destitutus criticismus est, quem praestat eclecticismus. Nam conjungi uterque, ut factum a Platone est, necessario debet. Sic discendum nobis ab omnibus est, quasi ipsi nullam habeamus, quam propugnemus, doctrinam: judicium autem adhibendum, ut eligamus recte: tum vero nos philosophari per nosmet ipsos decet. Haec est eclecticismi ratio, quae unice videatur probanda.

Nam ab hac profecto omnium maxime cavendum opinandi temeritate est, quasi in eclectica criticaque philosophandi methodo illa desideretur, quam vocant, quaque gloriari mortalium omnium maxime philosophi solent, *procreatrix* in philosophando facultas. Non enim sunt, quos spectamus, eclectici criticique philosophi puerorum instar, qui in pratis cum delectu flores carpunt: non illi hunc in modum e philosophorum veluti campis suavissimas quasque pulcerrimasque sententias capiunt, quibus scilicet philosophiam ipsi suam ornent. Haec non Socratis, non Platonis, non Aristotelis ratio fuit, quamvis hi e praestantissimis quibusque, qui ipsos praecesserant, philosophis

profecerunt. Ut inditam menti suae philosophiam cum excitarent, tum alerent, tum etiam confirmarent ac corroborarent, hoc maxime proposito philosophos quotquot fuerant excellentes, quin etiam poëtas legerunt studiosissime. Plato autem, quippe indole et disciplinâ Socraticus philosophus, hoc maxime factitando, philosophiam in lucem emisit, quae optimam contineret veritatis virtutisque disciplinam. Pariter agunt, quos probamus, eclectici ac critici philosophi. Tenent Horatianum illud: *doctrina sed vim promovet insitam* (*): hac spe proficere ex omnibus quae exstiterunt philosophorum placitis nituntur, quo magis, vi illâ insitâ his studiis promotâ, ipsi et sapere discant, et philosophentur recte, et, per philosophiam, prodesse cum civibus suis tum generi humano possint. Nam philosophorum omnium, quocunque tandem nomine appellantur, in primis vero eclecticorum et criticorum, si quidem iidem esse Socratici velint, hanc esse tesseram communem oportet: *sapere aude* (†). Sic autem eam non temere, ut factum a multis est, usurpabunt.

(*) Horat. *Od.* IV. 4. 33. (†) Id. *Epist.* I. 2. 40.

VII.

De philosophia aetatis nostrae.

Spectavimus in explicandis quaestionibus hisce criticismum maxime, qui unice convenire nostris philosophandi studiis videtur. Age, subjiciamus hîc de eo, quo rectius intelligatur, nonnihil.

Est haec, ut omnes fatentur, saeculi nostri ratio, ut nolimus arctis includi dogmatum ac systematum limitibus, contra, exspatiari per omnem philosophiam, ut a variis et philosophis et sectis, variis temporibus prodita est, aveamus. Quo magis historica nobis philosophandi via probatur. Appellare nos hoc genus philosophiae *eclecticum* instituimus, donec, credo, aliud nomen, studiis his nostris magis consentaneum invenerimus. Nam eclecticismus, qualis Alexandrina aetate fuit, nobis non placet. A syncretismo non minus sumus, quam a dogmatismo alieni. Praeterea patent studia nostra latius, quam unquam eclecticorum patuerunt. Proficiendum non solum a sectis philosophorum putamus, quo philosophiae historia ducit: ex ipsa etiam et gentium et artium doctrinarumque, et vero religionis omninoque ex humanitatis historia materiem capere ad philosophandum studemus; ut nihil prorsus excludendum studiis nostris videatur. Accedit, qui non minus aetati est nostrae proprius, humanitatis recte pro-

vehendae ardor. Nam ut fingere superiore saeculo conditionem hominum solebant majores nostri, qualis nunquam fuerat, ita nunc nostram nos, qualis est, conditionem emendare atque ad ubertimum felicitatis fructum, quoad ejus fieri potest, perficere conamur. Quo praecipue consilio institutionem juventutis publicam, fulcrum illud civitatum firmissimum, ubivis studemus provehere. Haec igitur aetatis nostrae studia, tam late patentia et verissimam spectantia humanitatis caussam, quo tandem modo contineri eclecticismi nomine possunt? Socratica dicenda potius, quam eclectica videntur. Nam Socrates, ut meminimus, rogatus, cujatem se diceret, *mundanum*, respondebat. Id, si quid aliud, est, quo saeculi nostri philosophia tendit. Habemus iccirco, cur aptius quaeramus rationi nostrae, quam *eclecticismus* est, nomen. Nam Socratica item disciplina, quamvis una omnium maxime ad cultum ipsamque sapientiam ducat, quamvis illuc aptissime artium doctrinarumque studia adhibeat, nobis tamen his temporibus non sufficit. Etenim, ne dicam de progressibus, quos a Socratis inde aetate in philosophia, tum vero etiam in historia cum gentium tum humanitatis fecimus, alia est nostri saeculi, quam Socratici fuit, conditio. Non referre nos cultum et humanitatem ad *civitatem* unice solemus: non *cives* nos nostros excolere nitimur,

caeteros omnes et *barbaros* vocamus et tanquam barbaros despicimus ac negligimus; *hominem* spectamus: homines, quotquot sunt in orbe terrarum et quacunque sunt conditione, excolere, nec iis solum, ad hanc, quam vivunt, sed etiam ad futuram vitam prospicere nitimur. *Humanitati* omnino, quae vere dicitur, nunc maxime veram dare operam instituimus. Orsi a patria, a sede inde nostra, per totum mundum, per universum genus humanum propagare humanitatem contendimus. Quo sane requiritur ratio philosophandi interior quaedam et magis etiam, quam Socratica, ex intimis animi humani sensibus studiisque repetita. Quid igitur? Stadium novum philosophandi intravimus, novam ingressi philosophiae veluti aetatem sumus: nomen autem, quo iter hoc nostrum appellemus, desideratur? Nescio, quid aliis placeat. Mihi non novum quaerendum nomen videtur; sed illud usurpandum, quod, sive usitatum, sive obsoletum, id, quod volumus, exprimat plenissime. Usitatum hodie maxime est *speculativum* philosophandi genus, quod quam facile ansam inanibus disquisitionibus, imo fictionibus praebeat, nemo est, quin videat. Praeferam equidem obsoletum fere, sed significationis certae nomen, *criticam* dico *philosophandi rationem:* sive *criticismum* illam, sive, ut Kantio placuit, *philosophiam criticam* dixeris, modo caveamus prudenter, quod

commisit Kantius, ne hoc nomine novam inducamus metaphysicam. Nam ars illa judicandi, quae *critica* vocatur, pariter atque ipsa mentis nostrae facultas, quae *judicando* cernitur, in omnes partes latissime patet rebusque omnibus, quamvis obscuris, lucem affundit. Refertur continuo, ut dictum supra est, ad literarum monumenta interpretanda, explicanda, illustranda. Referenda similiter est ad falsas philosophorum opiniones a veris sententiis cernendas, in primisque, quod primum esse instituendum vidimus, ad ipsos philosophos recte ab aliis aliorum temporum philosophis distinguendos. Nec vero minus illuc referenda eadem critica videtur, ut, in nobismet ipsis explorandis, cernamus recte, atque item dignoscamus mentis humanae facultates: primum studia nobis innata pulcri, veri, justi, divini, tum facultates proprie sic dictas, quae intellectui sunt propriae. Habet in his omnibus critica, ut singulae cernantur a se invicem diligenter, ut plane dignoscantur, ut cognoscantur penitus, partes maximas. Quamobrem, nisi aliud succurrat aptius nostrae aetati nomen, non intercedam, quo minus *optimam* his temporibus maximeque salutarem philosophandi rationem sive *criticismum*, seu *criticam methodum*, seu etiam, si mavis, *philosophiam criticam* nuncupemus. Sed, misso nomine, de re agamus.

Probanda unice philosophandi ratio est, qua libere excurrant philosophi per sectas omnes et sectarum doctrinas, ut id undecunque percipiant, quod verissimum optimumque videatur. Nec tamen sint iidem historico hocce philosophiae studio contenti. Philosophandum ipsis est: ipsos decet omnium primum maximeque cum semet ipsos tum hominem explorare, ut hinc profecti res humanas omnes, quin etiam divinas, explorent diligenter, fructumque hinc capiant ad generis humani salutem provehendam uberrimum. Continebit haec philosophandi ratio Socraticam non minus, quam eclecticam methodum: pertinebit autem eo item, quod non spernendum profecto est, ut religionem, quam profitemur, cum philosophia, cui studemus, conjungamus apte. Veruntamen studium his omnibus et facultas adjungatur, imo praecedat necesse est, veritatis inveniendae. Quid enim sine veritate philosophia est? Age ergo *criticam* adhibeamus; non solum nos *eclecticos*, non solum *Socraticos*, sed etiam, atque praecipue, *criticos* profiteamur philosophos. *Veri obrussa critica est.*

Caeterum praecipiendum hoc item omnibus philosophis et praesentibus et futuris videtur, ut, sive in philosophando Platonem, sive Aristotelem sequantur, neutrum sequantur solum. Nam, quod nuper verissime pronunciavit praeclarus philoso-

phus: *Plato et Aristoteles duo sunt antiquae, imo vero omnis philosophiae fundamenta: horum autem alterutrum negligere, idem est, ac negligere vel animum vel corpus philosophiae* (*).

Sic me scribere de Platonis et Aristotelis philosophia, deque criticismo ad Vos juvabat, imo vero decebat, Sodales, qui instaurare in Francia et vero per Europam propagare verissimam philosophiam dudum contendistis. In quo opere sane quam maximo, me quidem cooptare laborum socium et adjutorem voluistis: ego autem, tenuitatis ipse meae conscius, studii Vobis multum, parum vero adjumenti promisi. Quodsi in hoc libello, quo distinguere a se invicem et conferre principes antiquitatis omnisque aevi philosophos, Platonem et Aristotelem, conatus sum, criticam diligentiam non omnino desideraveritis, habebitis sane, quod et patriae meae et disciplinae, qua usus a teneris sum, gratum acceptumque referatis. Haec enim apud nos semper, in primisque a Tiberii nostri Hemsterhusii aetate, solemnis vox fuit: *sine critica non est, qui perfecte sapiat ulla in arte.*

(*) Vid. Cousin, *de la métaphys. d'Aristote.* Préf. p. I.

INDEX.

SOCRATES.

DISQUISITIO CRITICA

DE

INGENIO ET MORIBUS SOCRATIS.

PLATO ET ARISTOTELES.

DISQUISITIONES CRITICAE
DE
PLATONICA ET ARISTOTELICA PHILOSOPHIA.

PLATO.

ARISTOTELES.





